DE CULTU
ET AMORE DEI

35

DE CULTU ET AMORE DEI.

PARS PRIMA

DE

CULTU ET AMORE DEI;

UBI AGITUR DE TELLURIS ORTU, PARADISO, & VIVARIO,

TUM DE

PRIMOGENITI SEU ADAMI NATIVITATE, INFANTIA, & AMORE,

AB

EMAN. SWEDENBORG.

AD FIDEM EDITIONIS PRINCIPIS 1745 LONDINI EXCUSÆ

DENUO EDIDIT

THO. MURRAY GORMAN, M.A.,

E COLL. HERT. OXON.

LONDINI:

APUD KEGAN PAUL, TRENCH, ET SOC.

MDCCCLXXXIII.

13895
14/7/91

CHISWICK PRESS: EXCUDEBANT C. WHITTINGHAM ET SOC.,
LONDINI.

INTRODUCTIO.

I.

CUM solus quondam in Luco urbano, cogitationum turbas discutiendi gratiâ, obambularem, ac viderem viduari foliis arbores, & caducas circumvolitare frondes, Autumnus enim tunc devehebat Annum, & Æstatis decoramenta decutiebat, ex tristi serius factus sum, quia recordabar amænitatum, quas Nemoretum illud a suo Vere, ad hanc usque temporis versuram, communes habuit, & in meum quoque animum toties effudit: at visâ hâc alterâ scenâ, cæpi Temporum vices volvere; & subiit, annon omnia, quæ sunt Temporis, similes etiam vices percurrant; scilicet, non solum Sylvæ, sed quoque Vitæ nostræ, ac Ætates; nam consimiliter illas a Vere & flore quodam auspicatas, exactâ Æstate, in suam Senectam, Autumni imaginem, proclives labi, cernimus. Nec solum Ætates, sed etiam Sæcula aut Æva, id est, Communes Societatum Vitas, quæ ab infantiâ, integritate & innocentiâ, olim Aureæ & Argenteæ, dictæ sunt; & nunc ultimas seu Ferreas

ad ostium affore, brevi in ferruginem aut argillæ pulverem dilapsuras, creditur.

2. Antiqui enim Sapientes, qui animo a Corpore suo tanquam remotiores, ac ita Cælo propinquiores, naturæ interioribus enucleandis, intentissime incubuerunt, in præsentium suorum temporum volutionibus quasi conspicati sunt, quod Ætates suis nobiliores præcesserint, & quod in ipsis primordiis, Justitia & Puritas, cum suis asseclis Virtutibus, Regnorum Orbis clavum rexerint; quapropter ipsa illorum Numina ex Astris suis in Terram tunc delapsa, cum Genere Humano amicas sociavisse vitas, tradiderunt; sic ut ipsum Cælum a supremis ad hæc ima se quasi demiserit, & superiores suas delitias in Aeris, aut ultimæ ejus regionis, indigenas, effuderit; in horum gratiam hæc Tempora Saturnina & Aurea vocata sunt. Ipsam etiam Tellurem amænissimis ornabant ex se cultis floretis & pometis, & eam universam in continui Horti aut Paradisi speciem conversam repræsentabant; imo quatuor Annorum Tempora contrahebant in unum, & hoc in perpetuum concludebant Ver, quod suos pereniter afflaret zephyros, & dum ipsum temperaret ætherem, animos etiam Incolarum blanditiis oppleret. Tali proscenio Veteres Sophi Theatrum aspectabilis nostri Orbis aperuerunt: procul dubio, quia in singulis ejus ludis, seu fœtibus ac productis, tam vivis quam mortuis, talis ordinis expressam imaginem contemplati fuerint; nam nihil non a suo vere & flore, aque suâ infantiâ & innocentiâ auspicatur; Repræsentationes enim particulares sunt

totidem Specula Communium ; & Repræsentationes communes sunt totidem Specula Particularium, quæ locum suum sub istis Communibus sortita sunt ; quâ perpetuâ naturæ auctoritate persuasi, ad priora retrogressi Tempora, similem Veris ac Infantiæ statum in illorum primordiis exstitisse, rati sunt. Contemplemur & ipsi faciem Universi in Speculis ejus Singularium, & ex iis Temporum & Ætatum Fata evolvamus. Verum enim vero, absque favore & afflatu Summi Numinis, e Quo, ut ab unico Fonte, & Supremo Sapientiæ Sole, omnes Veritates, ut radii, in intelligentias nostras, defluunt, vana foret inquisitio, quare Illum, ut adsit & faveat, suppliciter adoramus.

CAPUT PRIMUM,

SECTIO PRIMA

DE ORTU TELLURIS.

3.

CIRCUM circa Solem, hujus Universi Centrum, Terrestris noster Globus, sicut Orbita, quotannis volvitur, & gyri sui dimensa, per Sidera in Zodiaco, quæ prætervehitur, designat: Tempus ejus Circuitionis aut reditus ad idem Circuli punctum, dicitur ejus Annus. Dum gyrum hunc aut annum currit, oblique paulo versus Triones, & deorsum illis ex opposito, a magno Circulo Æquidiali, divertitur; & sic in quovis suo minimo gressu, ubivis loci, varium Solis aspicit vultum, inde ejus quatuor Anni spatia, scilicet Ver, Æstas, Autumnus & Hyems. In hâc suâ circumvolutione, non secus ac rota, circum axem, qui a polo ad polum per medium Æquinoctialem Circulum seu Æquatorem percurrit, vertitur, & per hos

versus currentem peripheriam secat in partes aut gradus, qui anni ejus Dies nuncupantur. In singulis his per rotationem facit oriri Solem, & ab ortu in altum surgere, indeque delabi, ac demum occidere & abscondi; inde cujusvis Diei iterum quatuor Tempora, Matutinum, Meridianum, Vespertinum, & Nocturnum; unà cum suis Horis, quæ quasi Diem hunc circumstant, & Anni Temporum tempora mensurant. Quatuor intervalla cujusvis Diei, in quatuor intervallis totius Anni, se sicut effigies minores in magnis, repræsentant; se nimirum Aurora in Vere, Meridies in Æstate, Autumnus in Vespere, & Hyems in Nocte; & sic porro(*a*).

4. Sicut Terraqueus Orbis Solem, ut fluens Peripheria Centrum, ita Luna Tellurem, ut suum iterum Centrum, circuit; & similiter in binis oppositis punctis seu nodis Æquidiurnum Circulum secat, ac Zodiacum quendam percurrit; sic alteri aut alteri

(*a*) Sunt enim, ut supra in Procemio dictum, Repræsentationes Communes Specula particularium, ut & vicissim; ita non solum diversitates dierum in diversitatibus Annorum se repræsentant; sed etiam minima dierum momenta in iisdem; nam quicquid est Temporis, sub spatiis annuis, ut subjectis communibus, loca sua sortitum est; similiter enim unumquodvis Bihorium cujusvis Diei suo Mensi correspondet; sunt enim duodecim Bihoria Diei, sicut duodecim Menses Anni; nam Bihoria matutina repræsentant totidem Menses vernales, Bihoria meridiana Menses æstivos, & Nocturna brumales; quatenus Calores Veris aut Æstatis, Horarum istarum apricis, & Frigora earum umbris assimilari queunt. Si ulterius progredimur, in horum Temporum subpartitionibus adhuc similes correspondentiæ occurrunt, sicuti cujusvis minuti primi horarii cum quadrante alicujus diei, & sic porro.

Polo propior, quovis sui progressus minuto permutat situm, & cum situ aspectum, quo Orbem, suum Centrum, illustrat. Circuitiones, quot absolvit, totidem sunt ejus Anni, nobis Menses: ita rursus imago fere similis ejus cursus, temporum, vicissitudinum, & plurium, quæ ab his, ut ex causis, fluunt, qualis in Tellure nostra, repræsentatur.

5. Sunt præterea ingentia Corpora & Pondera, circum Solem nostrum, communem Luminis fontem, intra hoc ejus Universum, vagantia, quæ Stellæ Errantes, vulgo Planetæ, audiunt: Hæ similiter gyrant, & secundum distantias suas a Centro, volvunt & describunt Peripherias, quæ totidem sunt earum Annua, quæ conficiunt, Tempora aut Spatia. Hæ immensæ Moles, non secus ac Terraquea nostra, Axem suum ad Polos Universi erectum portant, & cursum secundum flexum sui Zodiaci urgent, unde illis etiam Veres, Æstates, Autumni & Hyemes. Rotantur etiam, sicut orbitæ, circum axem, quo Solem suum intra quamvis Rotationis vicem, mane orientem & vespere occidentem aspiciunt, unde illis etiam Meridies & Noctes, cum intermediis luminibus & umbris. Insuper etiam circum hos Telluris nostræ æmulos Globos ambulant Lunæ, Satellites dictæ, quæ a Sole mutuato reflexoque lumine orbium istorum superficies similiter illustrant. Ille, qui in ultimas peripherias rejectus, longissime a Sole distat, ne in debiliore & dubiâ magis, quam cæteri, oberret luce, magno circumcinctus est Satellitio, quasi continuo Lunari speculo, Cingulum ejus vocato, quod radios in via defatigatos Solis excipit, & collectos in obversas Globi illius facies, ampliter diffundit.

6. Circum magnum Solis, & ejus errantium Orbium, horumque comitum Lunarum, Systema, innumerabilia fulgent Astra, quæ Cælum nostrum Stelliferum in duodecim Signa, secundum sectiones Zodiaci, divisum, constituunt, & immensitatem ejus aspectabilem sistunt. Singula hæc Astra fixa sedent, & tanquam Icones magni Solis, in Centris immota etiam quendam campum, radiis suis excitatum occupant; sibique eum, ut suum proprium Universum subjiciunt & addicant. Quot itaque Sidera nostrum stipantia & coronantia Mundum, tot etiam sunt Universa, secundum virtutem & quantitatem Luminis ab illis eradiatam, majora minoraque. Hi cælestes Circi se mutuo contactu premunt, & ligant, & per concatenationes perennes cælestem conglomerant Sphæram, & per infinitos orbes concinnant Formam, quæ omnium sphærarum & formarum exemplar sit, in qua omnes & singuli gyri stellares concordissime in unum idemque conspirant, scilicet, ut se mutuo constabiliant & firment, ex quâ unione a bonitate formæ resultante, complexus hic Universorum, Firmamentum dicitur (*b*); nam in sic consociato maximo

(*b*) Hæc Forma, quam Sidera cum suis Universis per consertationes inter se mutuo, determinant aut coefficiunt, & quæ ideo Cælestis appellatur, ab Oculis in Telluris Globo constitutis, nequaquam, si visui fides habenda, agnosci potest, quod omnium Formarum Mundi perfectissima sit; Oculus enim non penetrat in distantias unius Sideris ab altero, sed ea contemplatur tanquam collocata in expanso quodam, unum a latere alterius; inde sicut absque ordine, ut congeries inordinata, apparent: usque tamen quod Forma ex omnium Universorum Sidereorum concatenata serie conflata, sit omnium

Corpore nullum Membrum sibi quicquam vindicat ut proprie suum, nisi tale sit, ut ex Communi in rem suam influat, ac iterum, quasi per orbem, in rem Universorum reliquorum, seu in Commune, refluat; quapropter etiam lumina & faces suas non intra proprias claudunt sphæras, sed eas circumfun-

formarum exemplar & idea, constare potest non solum ex eo, quod pro Firmamento totius Cæli inserviat, sed etiam quod primæ Mundi substantiæ, & ejus Naturæ Vires, Universa illa excitaverint ex quibus earumque cooperatione, nihil nisi quam perfectissimum profluit: hoc confirmatur etiam ex Siderum distantiis inter se mutuo per tot Sæcula absque minima intercedente mutatione, conservatis. Tales Formæ se suâmet propriâ virtute tutantur; nam quoddam perpetuum & infinitum spirant: Verum non comprehendi possunt, quales sunt, nisi per Formas inferiores aut infimas, quarum cognitionem ab objectis, quæ in visum Oculi cadunt, nobis comparavimus; & insuper per continuas abstractiones imperfectionum, quibus hæ formæ laborant. Sed intueamur has in suis Exemplis: Infima Forma, seu propria Substantiarum Telluris est illa, quæ a meris subjectis angularibus & simul planis, cujuscunque figuræ sint, modo in quandam formam confluxerint, determinatur, hæc ideo dicenda est FORMA ANGULARIS, proprium Geometriæ nostræ objectum. Ex hâc Formâ contemplari possumus Formam proxime superiorem, seu perpetuo Angularem, quæ eadem est, ac CIRCULARIS aut SPHÆRICA; hæc enim alterâ perfectior est in eo, quod Peripheria ejus sit quasi perpetuum Planum, aut infinitus Angulus, quia Planorum & Angulorum prorsus expers; idcirco etiam est mensura omnium Formarum Angularium, nam Angulos & Plana per Circuli sectiones & sinus metimur: ex his videmus, quod in hanc formam aliquid infinitum seu perpetuum secesserit, quod in priore non existit, scilicet gyrus circularis, cujus finis & principium designari nequit. In circulari seu Sphæricâ iterum contemplari possumus superiorem quandam Formam, quæ perpetuo Circularis, vel simpliciter SPIRALIS, dici meretur;

dunt, usque in opaca Solaris Mundi Corpora, nostramque Tellurem, & in vicem subeunt, quando Sol occiduus Hæmisphærio relicto noctem inducit.

7. In spatio hujus Universi terminato, circumferuntur, ut dictum est, ingentia Corpora, quæ Solem, ut commune Centrum circumeundo, in suas

nam huic accedit adhuc quoddam perpetuum seu infinitum, quod priori non inest, scilicet quod ejus Diametri non finiantur, aut terminentur in quodam Centro, nec simplices lineæ sint, sed terminentur in quâdam Peripheriâ Circuli aut superficie sphæræ, quæ pro Centri loco ei inservit, & quod diametris gaudeat in Curvæ alicujus speciem inflexis; qua ratione hæc Forma est Mensura formæ Circularis seu circularium, sicut Circularis est mensura Angularium. In Formâ hâc spirali adhuc Formam quandam superiorem spectare possumus, quæ perpetuo spiralis seu VORTICALIS dicenda est, in quâ iterum quoddam perpetuum aut infinitum adjicitur, quod priori non inerat; prior enim se ad Circulum ut ad quoddam infinitum Centrum, & ab hoc per ejus diametros ad Centrum fixum, ut ad suum finem aut terminum, retulit; hæc vero se ad formam spiralem ut Centrum, per lineas perpetuo circulares, refert; ipsa hæc forma se in Magneticis apprimis manifestat; estque ex eâdem ratione, ut supra de inferioribus formis dictum est, mensura formæ spiralis. In hâc demum conspicari possumus Formam naturæ supremam, seu perpetuo Vorticalem, quæ eadem est cum FORMA CÆLESTI, in quâ complurimæ finitates, ut totidem imperfectiones, quasi abrasæ sunt, & plures adhuc perpetuitates aut infinitates indutæ; quare hæc Forma est Mensura formæ vorticalis, proinde omnium inferiorum exemplar & idea, ex quâ inferiores sicut a suo principio, aut a formâ formarum, descendunt & nascuntur. Quod ita se Formationes rerum habeant demonstrandum venit, Deo volente, in Doctrinâ Formarum, & ei adjunctâ Doctrinâ Ordinis & Graduum. In hâc Formâ illæ facultates & virtutes occurrunt, quod unum alterum respiciat quasi seipsum, nec quicquam nisi communem firmitatem & concordiam spiret,

ætates crescunt. Sol tanquam grandævus Parens, hos currentes Globos, non secus ac suos Natos, jam longo confectos ævo, aspicit; in rem enim eorum communem & singularem constanter consulit, & tametsi distant, eorum usque perpetuam curam & parentelam obit; iis enim per suos radios tanquam præsens adest & prospicit; eos Calore ex magno sinu erumpente fovet; Corpora & Membra eorum venustissimo amictu quotannis ornat: Incolas perenni victu enutrit; Omnium vitam prorogat; ac insuper lumine illustrat (*c*). Cum Sol ita omnes officiorum Parentis functiones exequitur, ex nexu &

nam in illa non datur fixum quoddam centrum, sed quotcunque puncta, tot Centra, sic ut omnes ejus conscriptæ determinationes ex meris Centris aut repræsentationibus Centri existant; quo pacto, nihil ut proprium respici potest, nisi tale sit ut ex communi, seu ex omnibus Centris, quæ simul sumta commune producunt, ad se ut simile Centrum influat, & per orbem in rem omnium, seu in commune, refluat. Hoc quidem primo intuitu tanquam peregrinum, quia e longinquo seu ab objectis nostri Visus remoto petitum, non potest non apparere; verum quod ita se res habeat, ex nullis non phænomenis usque ad causas & principia sua lustratis, elucescit, & sicut in luce ponitur; cumprimis in Corpore nostro Animato, ubi talis partium dispositio ubivis offenditur; ut nihil non se quasi in Centro positum respiciat, tametsi respective ad determinationes vicinarum & remotiorum partium, in quâdam peripheriâ, diametro aut axe constitutum videatur: ideam hujus adhuc evidentiorem oculis contemplamur in æthere a radiis modificato.

(*c*) Hæc singillatim expendamus: *Quod Sol per suos radios* errantibus in ejus Universo globosis Corporibus, *præsens sit*, manifestum fit, ex ejus Calore & Lumine; radii enim utrumque secum ferunt. Calorem ad modum & rationem ejus ascensus in altum, & secundum atmosphæræ, quam radii

tenore causarum fluit, si Telluris fata ex primo stamine evolvere, ac ipsam ex suâ origine lustrare, animus sit, quod ad ipsum Solem recurrendum sit; nam Effectus est Causarum a primâ continuus; & Causa per quam subsistit, continuatur Causæ per quam existit; est enim Subsistentia perpetua quædam Existentia.

8. Tellurem itaque primum in suo ortu, aut in suo ovo, & postmodum in suâ infantiâ ac flore, contemplemur; deinceps eam per sua fata sequamur; quæ si cum iis, quæ in speculis universæ naturæ contuemur, coinciderint, totidem erunt auctoramenta, quæ dein e loco consequentium in locum antecedentium, ordine retro verso, transcripta, ipsam originem ex suamet serie confirmatam, concludent.

trajiciunt, densitatem & columnam, tum aliquatenus etiam secundum moram ejus super Horizontem, & occursum caloris ex objecto exhalantis; & denique secundum distantiam seu angulum, quem magnus ejus vultus subtendit; minore enim Caloris vi afflantur Corpora in extremo ejus universi limite, quam quæ sub ejus intuitu errant; quare Sol indigena hæc Corpora, *Calore ex magno suo sinu erumpente fovet*, secundum propositionem. Insuper etiam *illa venustissimo amictu ornat*, nam Universa Telluris facies cum suis arvis, viretis & hortis, ad novos caloris ejus aspiratus, tempore scilicet Veris & Æstatis, efflorescit; & singula, quæ faciem istam amiciunt, tametsi exstincta, e tumulis suis quasi in vitam resurgunt; actutum vero, dum Sol a Vertice descendit, & per inclinationem Plani Horizontalis humilior redditur, subeunt frigora, quibus subjecta Regni Vegetabilis occumbunt, & morti resignantur; ita *Incolas perenni victu* ex gremio Telluris excitato *nutrit;* & *vitam eorum prorogat.* Præterea etiam *dat Tempora*, quæ ex Sole trahunt sua maxima & minima momenta, & suas vices; Sæcula enim cum suis annis, Anni cum suis diebus, &

9. Tempus itaque fuit, instar non temporis, quando Sol gravidus, Corpora sui Universi, tanquam magnos foetus, in alvo suo gestaverat, & quando ea nixus in auras expulerat; nam si ex Sole, ut Parente, ex fæcundo ejus utero, erupisse constat. Verum adeo graves & inertes foetus, in suo tam ardente foco gestare, & postmodum nixibus edere, non poterat; sed ejuscemodi Onera exhalationis ejus, & inde fluentium efficientiumque virium ultimi effectus sunt. Inde cluit, quod Sol primitus ab effluviosis ex eradiatione ejus reali excitatis exclusisque halitibus, & undequaque ad illum, ut azylum & unicum requietis portum, affatim confluentibus, obductus fuerit; &

Dies cum suis horis, per ejus alternis mutatos aspectus, perque ejus Ortus vergentes ad occasus, & per Occasus resurgentes ad ortus, existunt; & sic quia in sensum, etiam in numerum cadunt. *Annuos & diurnos motus instaurat:* nam sicut Sol in cæteris omnibus per radios suos vires activas & vivas excitat, ita etiam totum suum Universum cum Atmosphæris æthereis ad naturam ejus radiorum excitatis per communem vim radiationi correspondentem, & quasi per Animationem, exsuscitat; absque tali origine motus, hæc Magna Corpora haudquaquam in gyros circum ipsum suum fontem tam constanter volverentur; ex viribus particularibus resultat vis communis, sicut Compositum a suis simplicibus, quorum est aggregatum. Insuper etiam Orbes istos *Lumine illustrat*, nam, ut dictum est, radii ejus secum tam calores quam lumina ferunt; sed hæc secundum solas altitudines super Horizontem, & secundum distantias, nec item secundum columnas aeris & suam moram in Hæmisphærio: Ita binæ naturæ radiis ejus insunt, adeo distinctæ, ut una absque alterâ existat; sicut in media hyeme, quando Sol tanta fulget luce, quantâ ex eodem altitudinis gradu in mediâ Æstate; huic ejus Naturæ opposita est Umbra, alteri vero Frigus; per Lumen suum illustrat illa quæ calore producit, ut in visum nostrum cadant.

quod ex his fluoribus tractim condensatis circum exstiterit nebulosum expansum, quod tanquam albuginea massa cum incluso Sole, MAXIMUM UNIVERSI OVUM, referret; tum quod hujus superficies demum interceptis radiis, & occlusis spiraculis, traheret crustam, quasi testam, quam Sol, dum partus instaret tempus, intus æstuans & tumescens, disrumperet, & sic tot excluderet Foetus, quot jam in ejus Universo conspiciuntur Moles, quæ eum adhuc ut Parentem suspiciunt (*d*). Similes omnino tam magnis quam minoribus subjectis intra sphæram ejus Mundi, & hujus in Tellure trium Regnorum, sive ex utero, semine aut ovo, nascuntur, ratio constat; nam sunt modo typi ad ideam Maximi efficti; & in se, tametsi in parvulâ effigie, universum quoddam referunt, & æmulantur (*e*).

(*d*) Similes etiam incrustationes non ita infrequenter in Cælo Stellifero apparuisse constat; conspecta enim aliquando fuerunt nova Sidera, admodum rutile effulgentia, & mox paullatim obscurescentia, postmodum vel in pristinum jubar rediisse, vel prorsus evanuisse; indicium non ita indubium, quod Sidera ista a confluxu partium ab exhalatione illorum excitatarum, simili crustâ obducta fuerint, quæ vel dissiparetur, vel prorsus ea absconderet, & sic oculis nostris subduceret. Præterea si immensam Solis magnitudinem cum Corporibus planetariis, quæ circum eum ambulant, comparamus, facile per levem calculum instrui possumus, quod talis ambitûs crusta tot & tantis Corporibus gignendis suffecisset. Hoc Ovum fuit Chaos illud olim hodieque tam famosum, in quod Elementa rerum congesta fuisse traditur, quæ dein in pulcherrimum disposita ordinem Mundum nostrum producerent.

(*e*) Communis stat sententia, quod nihil non ex Ovo nascatur; sicut etiam Vivipara Regni Animalis, primum in

10. Immenso hoc Lacunari diffracto, totidem exsiluere Moles, quot in hoc Universo conspiciuntur errantia Sidera, Telluris nostræ æmula: sed quæ adhuc informia, & in nullo librata æthere, magnum sui Genitoris limbum premerent: nulla enim vis eas aliò rapuit. Ita sicut lactantes Glomi pone ardens Parentis gremium, & quasi ad ejus ubera, sparsi procubuerunt. Mox vero dum Sol, reclusis valvis, & in inane universum patentibus portis, ex Ore suo jam pleno & intumido, igneos ejaculari halitus, & illud suis potentiis & viribus distendere cœpisset, vicinas primum & mox ulteriores distantias, Auris, & sic Spatiis, opplevit (*f*); Inde ortus Æther; qui dum

Ovariis, dein intra Chorion & Amnion, quæ cum suo liquido referunt testam cum albugine in Ovo. Semina quoque Vegetabilium, quæ tuniculis obvelata, & succo æmulo intus circumdata, idem repræsentant. Similis etiam omnibus constat ratio, nam dum nixus tempus instat, sive in utero, semine aut ovo, disrumpitur involucrum, tunicula, testa: solum intercedit discrimen inter hæc minora partus exempla, & maximum Solis, quod fotus seu calor, in Illis, ab extimis ad intima penetret, antequam ab intimis agit in extima; in Hoc vero ab intimis ad extima, ut redeat versus illa, quæ intima involvunt; ratio enim prorsus inversa datur operationis principiorum, quam causarum aut effectuum a principiis istis existentium: hoc sempiternum est, non solum in momentis partus, sed etiam in cæteris, quod per Exempla illustrandi in sequentibus datur locus. Hoc pacto sunt hi Orbes nihilominus foetus ex sinu Solis suum ortum & existentiam nacti; nam Elementa sive immediate a Centro in immensam illam crustam, sive a peripheriis ab eo excitatis, & ad Centri ambitum, cum inchoamentis istis, relapsis, congesta fuerint, eòdem redit.

(*f*) Ipse Æther, quo Universum Solare oppletum est, & unde Spatia ac Tempora, verbo ipsa Natura, ut aliquid, existunt,

circum Solem, simul etiam circum Moles ejus fusus, has involvit quasi fasciis aut spiris, & mobilitati cujusvis conformibus circumduxit sphæris; in harum Peripheriis posuit Verticem, quem in perpetuos traxit orbes, & ab illis gyravit Centrum, cui Molem implicuit. Inde factum, ut Corpora ista adhuc fluida, & sicut colliquamenta, ex virium tot centripetentium concursu orbicularem induerint formam. Hi jam Orbes facti, & tanquam nullius ponderis, quia in Centris, a circumfuso æthere vecti & voluti, primum circum Solem reptare & gradiri occœperunt, & mox, sicut Infantes, choreas ducere, & tripudiare; & per citas ac breves circuitiones inceptare Annos, & rotare Dies, & sic Tempora sua inire.

11. Quum hi Glomeres circum Solem jam in sua prima Tempora raperentur, & per festinos brevesque circuitus annua sua conficerent spatia, secundum perpetuos Corporum Cælestium gyros, in modum currentis helicis aut volutæ, se quoque extrorsum in novas peripherias conjiciebant, & sic per spiræ æmulos excursus a Centro, & simul a calidissimo & fervente Patris sinu, sed pedetentim & lente, se re-

non aliunde, quam ex eodem principio aut fonte, ortum suum ducere potuit; nisi ex eodem & uno, ratio concordantiarum omnis periret. Sique Ætherem illum ex phænomenis lustramus, non alîus naturæ est, quam substantiarum, quæ ipsum focum Solarem excitant: nec alîus formæ, quam in naturâ supremæ, quæ supra Cælestis vocata est; sed substantiæ illæ ita solum e novo conformatæ, ut dein radios sui Solis exciperent, & exceptos ad ultimos Universi limites transferrent; ideo ex fornace ejus ardentissimâ in his primordiis non radius, sed halitus, id est, ejus materia, erupisse dicitur.

movebant (*g*) ; sic quasi ablactati aliò cœperunt conferre gradus. Septem erant Foetus uno nixu editi, quot scilicet Corpora in Maximo Mundi Circo errantia ; horum unumquodvis in suâ Sphærâ libratum, secundum rationem molis cum pondere, ocius aut segnius, a natali Centro recessit. Ita separati Fratres, quisque velocitate acceptâ patenti spatio insurgebat, & simul ac in gyros, etiam per gradus a gyris in peripherias per ætherem explanatas, excursum faciebat. Quidam etiam Orbiculos, plures vel pauciores, tanquam famulos & satellites, intra gyratas circum se sphæras receptos, secum a Parentis Aulâ abduxerunt : nostra vero Tellus non nisi quam unam, tanquam Vernam, quæ Luna dicitur, ut illa luminosam Solis effigiem in se ut in speculo exceptam, noctis cumprimis tempore, in Telluris ob-

(*g*) Spira, quam novitii Orbes excursu suo a Solari Centro, effecerint, non cadit in intellectum, nisi ordine enucleatis Formis naturæ supremis, antea memoratis : tunc constabit, quod fluxio Orbium cum suis sphæris circum Centrum fuerit instar helicis circum axem, & postmodum ab ejus vertice projectio in ampliorem Curvam, de quâ infrà. Hæc circumgyratio apprimis concludi & educi potest, a Maculis Solaribus, totidem etiam globis proxime circum Solem errantibus, quarum quædam citiores, quædam autem lentiores Periodos agunt, prorsus secundum distantias a Sole, ut a suo Centro ; insuper etiam ab Orbitis Planetarum inter se collatis. Tales Gyri secundum Formas superiores designati, absque respectu ad Polos, & Circulos majores, seu Æquatorem & Eclipticam, nequaquam determinantur ; ipsa natura formæ id secum fert. Magnetis tam Declinationes & Inclinationes, quam Attractiones, quæ sunt determinationis istius Ætheris totidem conspicui effectus, idem quoque manifestant.

jectæ, suæ Heræ, faciem, reflecteret: ita quocunque abirent, & utcunque se verterent, sub intuitu, & in præsentia sui Parentis, nihilominus agebant.

12. Orbis noster ideo circum Solem suum in perpetuas helices, & perennis Cochleæ spiras, circumactus est, ut per continuas citasque volutiones omnia sui tenelli & adhuc nudi Corporis puncta Ei obverteret, & Caloris ejus afflatus per omnes vices & gradus, in se susciperet; nam adhuc non Tellus erat, sed inoperta, & tota quanta sine litore & limo unda, magnus scilicet fluens acervus principiorum naturæ inertis, qui vicini tam ardentis foci radiis strictus, ab imis effervesceret & ebulliret. Ut ergo hæc principia seu inertis & gravioris naturæ elementa, in secundaria nova, aquea, salina, terrea, & similia coalescerent, & ab his denique infinitæ varietatis fœtus excluderentur, orbis hic innumerabiles subire & percurrere debuit vices & mutationes, sicut totidem efficientes causas, ex quarum in se continuata serie communes profluerent effectus, qui secundum ordinem successivorum, & perpetuas causarum continuationes, suam perfectionem trahunt.

13. Nam bina exorta erant, & jam luxuriabant naturæ Principia, Activa scilicet & Passiva, quorum illa totum adimplebant Universum, Æther enim talium principiorum seu virium Atmosphæra erat; hæc autem seu passiva in unum congesta, globos constituebant in Centris circumgyrationis virium activarum suspensos & æquilibratos. Sed hæc Principia copulanda erant, & unum quasi nuptui dandum alteri, ut nova & mediatrix conciperetur

Atmosphæra, quæ proxime ambiret orbem, & solares ignes exciperet, & secundum variationem sui status, seu densitatis & columnæ, temperaret; Hæc dum enata, dicta fuit Aer, ex ortu suo id trahens, quod in omnibus agendi modis æmuletur Ætherem, ac insuper, ut gravis, seipsam, & sic Tellurem premat (*h*).

14. Postquam hæc Atmosphæra a tenuissimis ex Orbis gremio exhalatis principiis Ætheri connuptis, exclusa fuit, & per eam cœpit temperari æstus, qui ex igneo Fonte tam vicino undaret, tunc liquidus noster orbis incipiebat trahere crustam, aut superinduci quasi tunicâ, primum tenui, mox autem densiore, quæ secundum affluentiam partium de-sub emergentium continuo succresceret: nam adhuc ab imo fundo æstuabat. Orbis hâc superficie circumtectus, & quasi prætextatus, tunc primum induebat Telluris faciem, & quidem mundam & formosam; nam perpetua erat planities, absque mendis, seu clivis & vallibus, una sphæra sine termino, quam rivi & fluenta ex thermis scaturientia, sicut calentes in novo Corpore venæ, pererrarent; & undique roscido

(*h*) Aer modificatus producit Sonum, sicut Æther Lumen; illi dicatum est Organum Auditus, huic autem Visus: quod Aer ætherem modis æmuletur, apparet a Sono ejus, qui per lineas rectas, ad multam distantiam, sicut Lumen, propagatur, & quaquaversum a centris motuum circumfertur: tum quod uterque similiter secundum angulum incidentiæ resiliat aut reflectatur, & premat æqualiter introrsum & extrorsum in modum perennis circuli aut sphæræ. Sed quod Aer simul a Principiis passivis seu vi *inertiæ* præditis concretus sit, constat ab ejus manifesta gravitate, secus ac æther, qui ex vi sua pure activa, unde ejus elasticitas, id trahit, quod nec levis nec gravis sit.

circumfusa nimbo, qui recentem iniret atmosphæram, & in calidos Telluris sinus relapsus, illam continuo vapore refocillaret.

15. Hæc virginea & recens Tellus, tam speciosâ instructa facie, jam quoddam novum repræsentabat Ovum, sed quod totidem ad superficiem collectis ovulis, seu seminulis triplicis ejus futuri Regni, puta Mineralis, Vegetabilis & Animalis, differtum esset. Hæc semina seu inchoamenta adhuc inseparata in suis rudimentis jacebant; unum scilicet involutum alteri, Regno nimirum Minerali, quod matrix futurum esset, Regnum Vegetabile, & huic, quod pro alumnâ & altrice inserviturum, Regnum Animale; nam singula distincte postmodum ex involucris suis prodirent. Ita præsens continuit præteritum, & venturum latuit in utroque, nam alterum continuâ serie alterum implicuit: qua ratione, hæc Tellus a suis continuatis auspiciis jugi erat in quodam ortu, & sicut in intuitu sequentium, dum in fine & quasi oblivione antecedentium; & secundum progressionem in suâ orbitâ a centro recedente, novas continenter involvebat potentias, ex quibus successive explicarentur usus.

SECTIO SECUNDA

DE PARADISO.

16.

TELLUS adhuc nuda & inornata, in suos crescebat annos, & sicut Puella virgo adhuc impubis, ad florem primæ suæ ætatis festinabat; nam dum interiori gyro proximas Solis stringebat oras, tam celera percurrebat Tempora, ut Sæcula ageret, quæ a nostri Temporis spatiis mensurata, vix totidem æquarent Menses; unusquisque enim gyrus Annus erat, & unusquisque Versus circum axem, Dies: verum hæc Tempora, sicut Spatia, prorogabat, dum in spiræ modum percurrens, continuo gyros suos amplificaret. Ita Tempus fuit, quando sicut Macula obambulabat Solem; & postmodum, quando eam premeret orbitam, quam hodie proximum Soli Sidus erraticum; dein, quam venusta illa Stella, quæ mane ortum & vespere occasum nuntiat; ita nullum erat a Centro ad Peripheriam, quam hodie currit, spatium, quod non interceperit, & quondam Circulo circumscripserit.

17. Cum itaque Tellus, per suas evolutiones,

ampliatis jugiter a tergo spatiis, continuo elaberetur, inque suis Annis cresceret, tandem successive ad primum ætatis suæ florem perveniebat, scilicet ad illam curriculi sui metam, seu primum stadium, ubi Annui ejus gyri, non contracti nec extensi nimis, medium quoddam tenerent; quando scilicet quatuor Anni tempora se mutuo tam arcte premerent, aut sua corriperent spatia, ut unum in alterum, sicut rota currens, se cito verteret, & subrogaret; seu dum breve Ver exciperet perbrevis Æstas, & æstatem celer Autumnus, & hunc iterum Hyems, quæ ad Ver suum, nuper relictum, necdum abactum, reduceret Annum: sic quaterna Tempora inter se distincta, per citos influxus alterius in alterum, in unum quoddam Tempus, PERPETUI VERIS æmulum, coibant. Nam in tam contractis Anni spatiis, Calor Sirius, seu Æstatis, non potuit incendere & exasperare teporem Veris, nec hunc abolere Autumnus, minus excutere Hyems; sed unum modo alterum grata varietate & interpellatione, temperabat: Cunctatio enim & mora, cumprimis Frigoris & Umbræ, est, quæ tristem rebus faciem inducit; celer autem recursus, aut cita alternatio, eum discutit, & in amænitates vertit: ita ex contiguis unum simulabatur continuum, seu vernale quoddam sudum, a jucundo frigoris allapsu, temperatum (*i*). Similiter

(*i*) Quod per celeres versuras temporum, media quædam temperies, Veri assimilanda, inducatur, quisque documento experiri potest, per Thermometrum cylindro cuidam affixum, & circum ardentem focum tempore intensi frigoris, ad varias distantias, & varia celeritate, circumactum; dum enim in

etiam Dies, qui sicut Anni, per celeres versuras, diuturnitatis vires frangebant; ut primum enim Aurora retexit Diem, hunc non fugavit Meridies, sed per celerem delapsum in Vesperam, eundem reduxit, & per aliquot momenta Noctis, ad Auroram retulit & transmisit: sic etiam Frigus non rumpebat calorem diei, sed modo temperabat, & per gratam alternationem, eum quasi cum foenore, in gremium Auroræ, remittebat. Ita omnia, quæ spatii & temporis erant, tam maxima quam minima, conspirabant, ut Orbis noster florem suæ ætatis, seu perpetuum Ver, ingrederetur.

17(a). Nec solum Tempora & Spatia, sed etiam Astra Cæli, Atmosphæræ, ipsaque Tellus, conjunxerunt operas, ut talis Vernæ similis Temperatura, Orbi in hâc sua statione moranti, induceretur: *Astra* enim *Cæli*, per properos ortus præcipitesque occasus,

medio tenetur spatio, & mediâ circumagitur velocitate, ipse humor tubo inclusus, nec alte nimis ascendit, nec alte nimis descendit, sed temperati aeris gradum occupat; quandoquidem nec Calor eum poterit evehere, nec Frigus deprimere; distantiæ enim & celeritatis, seu spatii & temporis, sunt, quæ hæc moderantur. Similiter etiam si Diei lumina & umbras per lampadem rotatili cylindro alligatum, velis æmulari, & sic idem experiri; cylindro enim cum lampade cito circumacto, lumen non disparatur, sed cum mediâ quâdam luce aut face, circum totam peripheriam, continuatur: aliter si lente rota hæc circumvolvitur. Similiter in Tellure nostrâ, quando illa medio spatio a Sole abesset, cumque ejus Anni vix dum nostri temporis Menses, ac ejus Dies vix dum nostra Bihoria æquarent. Antiqui etiam Sapientes, eorumque Cantores, similiter quatuor Anni Tempora contrahebant, & sic perpetuum illud Ver, cujus mentionem faciunt, introducebant; ignari, quod ita provisum esset, ut id mediâ naturâ effectum consequeretur.

luminibus suis, noctu, dubiam submovebant umbram, & tanquam continuo fulgore terrestrem collustrabant discum, ipsasque Atmosphæras ad mox orientis Solis calores habiliori sinu recipiendos, adaptabant. Similiter etiam *Luna*, quæ jam propior magnâ facie ingentis Solis vultum suscepit, & per reflexi luminis copiam, & influxum, mediam Telluris sphæram, ad jam redeuntis Solis calidos ineundos fotus, instaurabat. Ipsa proxima *Atmosphæra* seu Aer, tam copioso lumine, & alternis calore excita, & simul fæcundis e gremio Telluris exhalatis roribus intepefacta, gratissimam spirabat temperiem; nulla adhuc rabies vento, nullus adhuc Cæsias & Boreas procelloso turbine auram quassabant; necdum nubecula Solis Siderumque Splendores intercipiebat; sed serena erat facies, & modo Favonii Zephyrique blandis suis flabris murmura ventorum sedabant. Ipsa quoque *Tellus* tot adblandimentis circumfusa, ac in se a superficie ad imum leniter calefacta, reddebat vices, & has vernales influentes delitias gremiis suis amplexata, in sinus hospitum refundebat. Ita ad recentem hanc Tellurem, ut ad suum Centrum, cum perpetuo quodam Vere, totum credas descendisse Cælum, & ei tanquam unico, cui faverent, objecto, gratificatum esse.

18. Ut omnes Universi naturæ sua congregarent auxilia, & conferrent opes, ad tale introducendum Ver, ante Solis & Temporum ortum, id est, ab æterno, decretum provisumque est, ob finem, ut Semina & Ova, quæ virginea Tellus jam castigatissimo suo utero gestabat, non solum excluderet,

sed etiam singulos fœtus, non ex alio, quam ex communi omnium Parente, natos, enutriret & educeret; tum etiam ut cuivis ex suo tribueret vernale ævum; nam nihil non ex simili Vere auspicia sua duxit. Tempus itaque fuit, cum Vegetabiles fœtus ex Seminum suorum thecis omnium primo erumperent; cumque ipsa Animalia, tam quæ natant & volitant, quam quæ repunt & gradiuntur, ex primis suis uteris ovisque evolverentur, & dein sapidissimo lacte, ex florido puerperæ sinu, tanquam ubere, emanante, alerentur, & usque ad illud ævum, dum juris essent sibimetipsis prospicere, perducerentur (*k*). Hoc, nisi favisset ipsum Cælum, nequicquam eum effectum, qui tot infinitorum effectuum iterum causa efficiens foret, consequuturum fuisset, sed enatæ soboles, in primo suo ortu, novas suas animas exhalassent. Ideo Divina Providentia ita Ordines rerum disposuit & direxît, ut potentiæ sicut causæ succederent, & ad perpetuandos, quos producerent, effectus, continenter junctæ, se mutuo amplecterentur, & inirent.

19. Quum Tellus primum suum iniret Ver, ex

(*k*) Consimile existit in nostro Vere, quo non solum Vegetabilia ex semine aut radice suâ resuscitantur; sed etiam Animalcula ex ovulis, vernali temperie solum favente & aspirante, excluduntur; verum illa duntaxat, quæ ætates suas non ultra nostri Veris, aut etiam Æstatis, terminos, producunt. Animantia vero majora in continuato nasci debuerant Vere, diuturnitati eorum infantiæ & vitæ correspondente, ut postmodum ipsa potuissent suos fœtus concipere, excludere, & educere: & sic per continuos fotus, & ardentes curas, in seipsis referre imaginem continui & perpetui illius Veris, quod his ejus æmulis primam origenem dedisset. Unum sicut alterum manifestum Divinæ Providentiæ est documentum.

seminulis, quæ proxime ejus superficiem tegebant, & suos ortus maturabant, pulcherrimos educebat flores, mille formis & coloribus variegatos, ut totidem naturæ risus & delitias; nam omniparens Tellus, sicut omnes ejus, quos parturiebat, fœtus, primum & ipsa vernabat, & efflorescebat; & quidem tantâ decoris varietate, ut unusquisque flos cum vicino de palma venustatis certaret; nam non potuit non perfectissimum esse, quod ab ipso Creatore, omnium perfectionum Fonte, immediate producitur; ita quot erant glebæ, diversis Solis radiis perstrictæ, tot efflorescentium formositatum varietates veniebant: ipse etiam Aquilo suis floribus luxuriabat: sed hos ovantis naturæ ludos dictis & numeris complecti, est totum sine limite orbem percurrere; nam sicut unusquisque cespes suam novam formam producebat, ita quilibet progredientis veris passus adhuc novas adjiciebat; imo perplures postea nusquam visas, scilicet quæ fatorum orbis series, ipsamque universi naturam, suis foliis diversimode inscriptam ferebant, & ostentabant, quæ scilicet stellatæ, aut variatæ notis ipsum Cælum cum interpunctis sideribus, quæque flammeum Solem cum suis radiis, ejusque cum Tellure tædas, tum etiam quæ cæli Circulos, aliquo colore distinctos, cum suis sphæris, quibus superimposita esset Corona, repræsentabant; quot enim primitiæ Veris, tot lucida specula communium, & tot repræsentationes fatorum, ad hunc seriei terminum (*l*). Ita Tellus in hâc suâ primâ ex

(*l*) Id in generationibus per successivam seriem oriundis, commune est, ut illæ in se priora repræsentent, & posteriora

se ludente ætate, tanquam nova Sponsa, quâdam pallâ formosissimis ornatâ rosetis induta, & lectissimorum florum quasi redimita sertis, incedebat, ipsâ flammâ amænitatum ex facie ejus emicante, adeo ut ipsos Cælites in suos thalamos invitare, & a suis primitiis e quolibet toro delectis grata munuscula & thura porrigere potuisset. Unusquisque hic foetus, similiter ac ipsa magna Parens, penitus quandam perpetuitatem, & Ver magni æmulum, spirabat; sed una efflorescens germinatio aliter prorsus ac altera, ita mille modis; commune erat, quod unumquodvis nova pareret semina, spes futuri generis, quæ ex ultimis suis viribus concepta, & postmodum enata, in magnum Parentis sinum prope suum demittebat, suisque operiebat foliis, & ex his in pulverem dilapsis novâ obruebat humo, & sic ipsum sicut nova Parens, suam prolem evocare & educere, parabat. Alii fœtus aliter; vel enim ex stirpe suâ iterum & denuo excitati, flores suos, longa serie renovabant; vel ex cinere suo seipsos resuscitabant; succus enim, quem a matre extractum in suas venas diffundebat, non nisi quam ex meris principiis gravidus, & sic ex innumerabilibus sui inchoamentis fæcundus erat; nam Tellus tota quanta jam Seminarium & Ovarium erat; humus demum ex tumulis denatorum florum

tanquam præsentia contineant; nam nihil non ad imaginem formæ suæ genitricis nascitur, & in se futuræ stirpis communia fata, ut præsentia, includit: Quare dum Semina hæc se explicuerunt, secundum eum ordinem successivum, quo exorta sunt, non potuerunt non Universum suum prius aliquâ facie & formâ effigiare, sicut etiam hodie in perplurimis efflorescentiis conspicuum sistitur.

succrescebat: aliter adhuc cæteræ efflorescentiæ, nam ubivis & semper constans erat varietas. Tali ornatu Tellus nostra Theatrum sui Orbis ingressa est.

20. Florescente adhuc, & in Ver suum progrediente Tellure, Virgulta & arbutei fœtus, hic illic, e recenti humo pullulabant, sed Sylva primum humilis, etiam floribus seu Veris primitiis adornata. Postmodum adhuc latius egrediente Orbe, surgebant Arbores, quæ in terram illam candidam, & a tot florum bustis accretam, altiores radices agebant, & quæ suas coronas in Aere explicabant. Maxima pars, ad instar magni Veris, etiam sua tempora, seu suas ætates in unam, contrahebant, perpetuo enim vernabant, & simul perpetuo parturiebant, suasque primas vires & potentias, post continuum exactum gyrum, in ultimis concentrabant; seu dum flores etiam semina excludebant; quibus ipsam suam infundebant naturam, aut Animam (*m*): & simul etiam Parentis,

(*m*) Prima Vis genitrix seu plastica penitus ipsis seminibus fœtuum vegetabilium innata, Animæ assimilanda est; ab hâc enim, & ad ejus instar, formantur eorum Corpora cum suis membris & toris, & continuantur vasis, seu Caules cum suis ramis, foliis. canaliculis, & pluribus, quæ animatos fœtus æmulantur: tum quod hæc similiter suas ætates percurrant, in suâ infantia floreant, tum adolescant, dein ad senium vergant, & demum occumbant; præter innumera alia. Sed tales genituræ sunt primæ & ultimæ vires ac potentiæ ipsius Naturæ, ex copula ejus activissimarum formarum ætherem constituentium, cum viribus inertiæ Telluris, mediatione radiorum Solis, excitatæ, ex qua origine, in suis primis & ultimis, proinde etiam in mediis, imaginem primitivæ & perfectissimæ naturæ trahunt; atque typo quodam superiores

ad imitamen magnæ, munus obibant; nam semina hæc in Ovariis aut thecis reposita multiplicibus cingebant tunicis, circumfuso alebant & maturabant succo, ac demum magnæ suæ matri porrigebant, ut ex illis similem sui excitaret progeniem. Sed hæc cum infinito discrimine, at cum unâ & constantissimâ lege, ut unumquodvis ex suis auspiciis viveret, adeptumque ortum ex se perpetuaret.

21. Ita Orbis noster a suâmet humo quasi elevatus, & in pulcherrimum versus Nemoretum, non nisi quam amænitates & copias respirabat, & ex quolibet sui arbusti ramo, foliique ac fructus poro, fragrantias exhalabat, & iis ut lenociniis ambientes auras opplebat, quæ totidem erant reformatæ fæcunditates a Tellure per novas vias, nempe per radices, surculos & frondes recentium vegetationum, exsudatæ: Hic erat dilitiosus ille Hortus, PARADISUS dictus in summâ ætheris regione, ipsâque viciniâ Solis, situs & excitatus (*n*), quem innumerabilia Fluenta ex suis fontibus erumpentia secabant, & per Violaria &

essentias, seu ipsas vivas, referunt. Qualis vero ipsa hæc Vis seminalis sit, non cognoscitur nisi ex enucleatis Formis prioris naturæ, tam quæ vires referunt activas, quam quæ passivas, tum etiam quomodo Solares radii ad eas copulandas operantur; quod pervastum nimis foret, jam ab ultimis ad prima evolvere.

(*n*) Nec defuerunt ex Antiquis, qui divinatione assequuti sunt, quod Paradisus in superiore ætheris regione, sic Soli propinquiore, exstiterit; quoniam in hâc Telluris distantiâ, nequicquam talem effectum, ex quâcunque dabili causâ, profluere potuisse, perspexerunt: quæ divinatio nec a vero abludit, quandoquidem Tellus tunc suos annuos cursus & recursus, in eâ Regione, quæ superior Ætheris dicenda sit peregisset.

Vireta viam sibi parantia perpetuis colludebant circuitibus, quorum rivi multifariam fissi abditis cuniculis, tanquam vasis calente sanguine plenis, Membra suæ Telluris irrigabant, & per ambages ad lenia suorum fontium capita, sicut ad Corda, redibant. Ita ipsa Tellus, quasi maximum Corpus, non secus ac florentes & fruticosi ejus fœtus, venis suis luxuriabat, & sic germinationum suarum radices humore principiis & ovulis fœto, ita lacteo, perenniter alebat. Hæc prima erat scena Theatri hujus Mundi, tot pictis aulæis decorata.

SECTIO TERTIA

DE VIVARIO PARADISI.

22.

JAM Tellus, quosque sine termino patuit, se ut spectatissimum totius Mundi Theatrum ostentabat; tam enim festivo instructa circumfluebat apparatu, ut in se ex universo Cælo concentratas opimitates ac opulentias unicam diceres portare. Sed hoc, quod tam speciosum erat, omne caruit vitâ, modo erat amictus tam lautus & floridus ex tot mille vegetatis contextus. Natura enim ex suo fonte, seu a Sole, scaturiens, jam omnes, quotcunque expirare potuit, exhausit potentias; nam ad florentissimum hoc perficiendum Regnum, ordini suo conformiter, primum infimas, & demum supremas, in semina Productionum collatas vires, evocavit, & in novum quendam naturæ orbem emisit & transcripsit. Ita maximum peregit gyrum, & per hunc cæteros omnes hujus æmulos gyros instauravit (*o*). Ipsa etiam Tellus suas effudit

(*o*) Omnia enim & singula in universâ Naturâ, & in unoquovis ejus Regno, quæ determinate fluunt, ejuscemodi gyros perficiunt & absolvunt; scilicet, a suis primis naturis auspicantur,

vires, & acceptam fæcunditatem in tot fœtuum inchoamentis consumsit; nec jam amplius ex suomet communi Ovario nova semina extulit, sed modo seminata ex suis productis & vegetatis recepit, & inde primitivas imagines resuscitavit: jam enim Humus & Terra facta est (*p*).

& ab illis ordine ad ultima seu infima procedunt; dumque ibi nova statuerint principia, ab illis simili ordine ad prima seu suprema redeunt; adeo ut descendant, & a novis excitatis principiis ascendant; hoc constanter, non solum in Regno Vegetabili, sed etiam in Animali; quæ Regna in communissimis se prorsus referunt ac æmulantur. Natura enim post Ovum, & ab Ovo, exorta, primum supremas & simplicissimas excitavit Auras seu Atmosphæras, tum medias, & demum ultimam, seu Aeream: has, seu earum individuas formas aut substantias, quæ vires activissimæ ejus Universi sunt, cum principiis Telluris nullâ activitate ex se præditis, mediatione radiorum Solis, copulavit, ac ita novas concepit formas, quæ seminibus inclusæ principia essent feracissima novorum fœtuum seu productionum; sed has inverso, a suo, ordine, exclusit, scilicet primum illas principiabat formas, quæ ab ultimâ aurâ conceptæ essent, tum quæ a mediâ, & demum quæ a supremâ: qua ratione, sicut supra memoratum est, ex hâc Tellure primum veniebant flores, postmodum virgulta, demum arbores, quæ perfectione & diuturnitate cæteris priores essent. Ita Natura a suo primo ad ultimum, & a suo ultimo ad primum, progressa esse, & Maximum Gyrum, sequentium similium & minorum Exemplar, confecisse, dicitur, qui quomodo instauratus sit, ex ipsa serie elucet. Quod similis progressio in Regno Animali ubivis obtineat, a continuis illis gyris, qui in Corporibus regnant, & communem, sicut partes, conficiunt, manifeste apparet.

(*p*) Ipse enim Sol nec amplius radiis suis stringebat Tellurem, sed loco ejus, numerosum illum fœtum vegetabilem, qui ejus superficiem jam operiebat, in quem tanquam in novam suam posteritatem, vires suas impendere cœpit.

23. Sed magnifici hi paratus, unde omnes copiæ manabant ad plenum, non erant sui gratiâ, Regnum adhuc venturum erat ex solis Animatis consistens, quod his in luxuriem fluentibus bonis fruiturum esset: jam etiam instabat tempus, ut Animantia ad has amplitudines introducerentur. Nullus erat frutex, & ne quidem folium, aut minimus naturæ effectus, qui non in se aliquem respirabat usum, nec solum proprium pro se & suo ramo, sed etiam in specie aliquem pro suâ stirpe, & insuper communem pro universa Tellure: imo adhuc sublimiorem pro Regno Animâ victuro, cui omnes illi usus usui multipliciter cederent.

24. Ita in unoquovis producto seu effectu, intime regnabat usus, sicut Anima in suo Corpore: quare in singulis Vegetatis aliquid penitius latuit, cumprimis in naturis seminum, quod ex intimis ea incitavit, ut aliquod novum, etiam ex semine conceptum, & pariter ex ovo enisurum, nasceretur, scilicet tale, quod dum naturâ, etiam vitâ, ageret, in cujus rem aut utilitatem omnis hæc redundantia deserviret. Unaquævis itaque Vegetatio jam quasi gestiebat, hæc nova ovaria ponere, eadem succo electibili ex medullâ suorum seminum extracto replere; hæc dein Soli exponere, & ejus apricum foliis suis umbrare; & postmodum inde exclusum tollere & fovere fœtum, eique mollem substernere torum, ac struere penum, eumque ex suarum venarum lacte, & fibrarum quasi spiritu, alere, nec parentem intermittere curam, quam is adoleverit, & potuisset stratis seu nidis suis exsilire, & iterum ad ubera

redire; & demum propriâ altrice relictâ, ex communi ejus prosapiâ aut domo victum sibi conquirere. Hic naturalis quasi instinctus unicuique plantæ ab ipso semine inerat; nam intus in seminum genitrice naturâ talis delituit nisus & conatus; proinde aliquid vivum in non vivo, seu animatum in non animato, quod se demum recluderet & aperiret. Nam duo sunt Principia, inter se toto cælo distincta, unum Naturale in se mortuum, alterum Spirituale in se vivum (*q*); Hoc, singularissime in unoquovis, & universaliter in omnibus regnans, efficienter agit, ut Natura non nisi quam usus respiret & intendat, seu causa subordinetur causæ, & sic ipsa series progrediatur ad suos effectus. Proinde jam Tellus

(*q*) Quod duo Principia inter se distinctissima sint, unum Naturale, alterum Spirituale, ex omnibus, qui sequuntur, locis, se ipsum concludit & demonstrat; tum quod Naturale suum ortum a Sole Mundi, Spirituale vero a Fonte ipsius Vitæ, seu Supremo Numine, immediate sumat. Jam modo filum n. 6. not. (*b*) inceptum velim resumere & continuare, ubi de *Formis Naturæ* actum est, & quidem ultimo de supremâ ejus, *Cælestis* dicta: illæ Formæ, seu ab his ut Viribus naturæ activis oriundæ Atmosphæræ, sunt omnes inanimatæ, sicut nihil non, quod a Sole, qui naturalium fons est, ortum suum ducit. Verum supra hanc Formam Naturæ supremam, seu Cælestem, est Forma perpetuo Cælestis, seu SPIRITUALIS, cui nihil inest nisi Infinitum, ex eradiatione ipsius Solis Vitæ, sicut cæteræ ab eradiatione Solis Mundi, scaturiens; quæ quia immediate fluit ab Infinito seu ab ipso Deo, qui solus EST, ideo in se vivit; estque illa quæ Animas viventium ad suæ vitæ usus animat; non quod Anima universalis sit, sed animans ea quæ ad receptionem vitæ nata factaque sunt; unaquævis enim Anima est Substantia per se, quæ, sicut Essentiæ naturales a suis Auris, ita hæc a suâ, ut vitam suam vivat, perpetuo excitatur.

continuis & effectibus & usibus, ita junctis, ut Corpora suis Animabus, efflorescebat, & quidem tanta amænitate, ut si a Mente quâdam, seu visu superiore, qui simul ac effectus, etiam ipsos usus in effectibus, intuetur, spectata foret, ei hic Paradisus, tam lætus lætitiis, ut non Terrestris, sed Cælestis, appariturus esset.

25. Seminalis hæc Natura ab intimis animata, jam teneras imprægnabat frondiculas, quæ tanquam nova Seminaria & Ovaria intumescebant, & recentia, sed alîus generis, ovula excudebant (*r*). Primum itaque Animalcula ignobilioris, postmodum illustrioris prosapiæ, prodibant, eodem prorsus ordine, quo Natura

(*r*) Ipsa Vegetata ad imitamen Magnæ Matris, primitus etiam mera quasi Seminaria & Ovaria fuere, sed quæ non solum sui sed etiam alîus a se diversi generis fœtus, progignerent: ita enim unum alteri involutum jacuit, ut non prius alterum prodiret, quam omnia, ei pro vitæ suæ exercitiis & necessitatibus inservitura, parata starent. Ex ipsâ serie ortuum constare potest, unde Animæ brutorum, quæ naturis seminum Regni Vegetabilis ingeneratæ fuisse dicuntur: sicut enim Semina Vegetabilium ex copula virium activarum naturæ cum viribus inertiæ Telluris, media radiatione Solis mundi, exorta fuerunt, ita hæc Semina, quæ Animata sunt, a Formâ illâ seu Essentià Spirituali, formis seu viribus activis naturæ infusâ, mediâ radiatione Solis vitæ, quæ spiritualis & viva est: quare hæ vitæ eâdem serie subordinatâ prodierunt, quâ ipsæ illæ vires Naturæ, quæ Atmosphæras constituunt, proinde eâdem, quâ ipsa Semina Vegetabilium, ex quibus denique exclusa fuerunt. Cumque Vita illa ex suo Fonte nihil nisi quam Usus spirat, & Natura nihil nisi quam Effectus usuum gratiâ, patet quod ita prævisum & provisum fuerit, ut ipsi usus sicut effectus se recluderent: tenebrosissime omnino cæcutit, qui in his non Divinum perspicit.

stirpes suas vegetabiles propagavit. Ineunte itaque & progrediente Vere, Vermiculi & Erucæ, in lucis usuram ereptabant, fœturæ, quæ cæteris ignariores in suæ vitæ exercitationes & munia, agebantur. Hæc minima Vitæ simulachra, aut viventes Naturæ typi, similiter in suis primis formis, a quibus animabantur, adhuc quoddam penitius abditum celabant, quod post reptilem & ventricularem exactam vitam se expediret: Vis hæc interius viva vermiculos suos in nymphas, aurelias seu chrysallides, connucleavit, & prioris corpusculi stamina ita continuo protraxit, & concinnavit, ut mox excussis remoris, & rejectis exuviis, alis accingerentur, & ab humo sublimius elevati, reliquum suæ vitæ spatiolum, amorum delitiis, genus suum perpetuandi gratiâ, impenderent, & maternis similes sinus fœtificarent. : Nulla erat, ne quidem minima, in obscurioris jam elapsæ eorum vitæ orbiculo, naturalis functio, nec ulla in organicâ eorum Corporis texturâ, arteriola aut fibra, quæ non hanc eorum vitæ conditionem projiciebat, & hanc quasi ad metam quandam, ut exantlati operis præmium reportarent, urgebat; ita Vita, ex quâ agebant, per continentes series ducebat stamen, & Natura se ejus nutui paratissime accommodabat. Præterea, nulla erat in universâ hâc ignobili familiâ species, quæ non aliquam symbolam ad rem commumem, si non impræsentiarum, usque post elapsura sæcula, conferret; tametsi nos, eas utilitates, quæ myriades sunt, sensibus nostris, qui modo summas effectuum libant, & ex iis paucissimos usus legunt, non detegere potuerimus. Ita jam Paradisus noster

e novis usibus, & simul decoramentis, ad superiorem adhuc splendorem, in suis minimis, evectus est; nam unumquodvis folium suum portabat vivum, & unusquisque flos ex fulgore ejus coloris, a vitâ naturæ junctâ elevati, coruscabat.

26. Cum jam violaria & nemoreta Paradisi his novis vitæ spiraculis, luxuriarent, tunc altera propago Regnum Animale adornatura ex similibus rudimentis & matricibus in suum diem prodire incipiebat, scilicet Genus Aligerum, naturâ quidem prius, quia nòbilius, sed ortu posterius, quam volatilis illa & bis nata progenies. Aligero isti Generi, primi Arbutei, seu medii Veris, fœtus, frondibus & succis prægravidi, natales suos dabant; qui postquam suæ propriæ stirpis semina excluserint, & sibimet spem diuturnitatis asseruerint, sinus & fibras adhuc interiores reserabant, & hos suos nobiliores extrudere fructus cæperunt, scilicet, partim, ovula cum suis vitellis, & novæ inchoamentis vitæ, quibus in nidos a sua officiosâ propagine circumcirca exstructos, leniter submissis, reliquam curam utrique Parenti, seu Telluri adhuc tepescenti, & Soli radio suo iis incubanti, mandabant: prorsus tanquam frondosi stipites ex intelligentiâ aut genio scientiæ æmulo agerent; sed natura in omnibus morem gessit vitæ, quæ ab intimis agens tales excitabat effectus, ut ex iis ejuscemodi vitæ usus actu existerent; est enim usus, ut dictum est, anima ipsius effectus. Ita plumati hi fœtus, foti sunt, & a Vere ex omnium poris exspirato exclusi, & demum a genetricis venâ, & a granis circum circa ex proviso

sparsis, nutriti & educati, usque dum seipsos librarent in alas, & pendentes in novo Aere tentarent volatum. Ex his sponte sua nidificatis cunis tot alitum genera, & tot species, quot erant arbustorum, evolabant. Verum vegetationes hujus generis secundariæ, aut ex semine non telluris, sed ex proprio, aut denuo egerminantes, cum suo ortu, oviparæ desinebant esse; nam principiorum omnium Principium, unde Vita, ante ortum causarum, omnes origines, unam ab alterâ, in continuâ serie, provisas, ita simul disposuit, ac ab intimis aut supremis ipsos ordines instituit, ut unum suo tempore produceret & educeret alterum. Hæc decore superba proles, cælestibus suis & flammeis coloribus totum & aerem & orbem collustrabat; erant enim Species, quæ in vertice suo pro cristâ coronas quasi gemmis distinctas, ac diademate præcinctas, quæ circum collum monilia cum suis pretiis, in caudis & talaribus sidera, auroras, & futuras irides, quæque in suis remigiis ignes Solis in purpuram versos, gestabant; quædam etiam ipsum Paradisum, aut aliquam ejus pompam, pennis suis designabant. Jam Tellurem novum fere incrustabat Granarium, ex fæcunditate tam numerosæ stirpis coacervatum; in hoc, ut ad sibi provisas & paratas epulas, nova hæc terrigena proles, justo tempore, introducebatur; tum etiam ad primogenitum illud vivarium, seu volantem turbam, ut ejus luxuriem detonderent, ne immoderatius abundaret, sed ut omnis copia & quantitas in medio, sicut bilancium trutina, staret. Ita universalis Providentia in singularissimis efficienda & effecta dirige-

bat (*s*), ut sicut una causa ab alterâ in alteram, etiam usus ab uno in alterum, ex lege constante & æternâ, flueret.

27. Ultimo in has copias ita amplificatas, Animantia quadrupeda, Belluarum greges, & Armenta, introibant, sed non prius, quam humilia Arboreta suos vitales nixus, seu Volucres, ediderint, ne scilicet posteriores hæ gradientes Vitæ prioris vegetationes depascerent, ungulis proculcarent, & victuram sementem depopularentur. Hæc ultima Paradisi propria Auctoramenta similiter ex Viviparis Sylvis, sed quæ superiorem in se naturam ferrent, enascebantur: hæ ex parili fetificationis genio demum intimos reserabant sinus, & mollicula e ramis pendentia ovula seminali succo imprægnabant, quæ in pansos deducta uteros, atque simul floribus & herbis commissa, se ipsa tunicis, amnio & chorio, involvebant, placentisque fores obsignabant, & vegetabiles lactes in iis castigatos, per tortiles funiculos, ad Hepar suctu traducebant, ubi iidem ad ultimum florem depurgati, & sicut chylus, sanguini connupti, Cordi & Cerebris ad usum crescentis Corporis distribuendi dispensandique tradebantur; nec sedula

(*s*) Providentia universalis audit, quia est in singularissimis; a præsentiâ & potentiâ in singulis cognoscitur, existit & denominatur omne Universale, sicut a suis partibus aut particularibus Commune. Universale est complexus omnium singularium, sicut Commune omnium particularium; nisi illud sit in singulis & cum singulis, seu in minimis sicut in maximis, non est Universale; quare si Providentiæ Universali Providentiam in singularissimis subtrahimus, aut unam ab alterâ separamus, ipsam Universalitatis essentiam destruimus.

& provida alumnæ desiit cura, antequam Pecus sub suæmet vitæ auspicio propriam naturam ingrederetur agere. Maxima pars crescebat toris & costis, & altis pedibus corporis magnam gestabat molem, & fronte ramosa portabat cornua, totidem insignia sylvestris prosapiæ, & ab humo altius evectæ & nobilitatæ maternæ stirpis. Ex cujusvis vultu eluxit animus; se enim ipsa Natura in Corporis figuram, dum simul in mores, transcripsit; nam Corpora suam Animam quodam repræsentant typo; vita enim naturæ juncta parit causam, & causa, cui utraque inest, producit effectum, qui usuum a vita per naturam designatorum complexus & imago est. Quot itaque novæ facies, tot erant dissimiles Animi; adeo ut diceres, omnes in universo junctos disjunctosque Animos, Corpore indutos, terrestrem hunc Olympum spectatum, & Regimen diversorum Animorum formatum, coivisse: Quidam enim erant feroces & immanes; nec nisi quam sanguinem deamabant; quidam ipsi suam aliorumque lucem perosi livebant felle, quibus nusquam recta facies: quidam animosi turgebant imagine sui: quidam autem gloriosi & quasi ansati ambulabant: alii mites & mansueti coævæ suæ gentis minas & fastus indulgenter ferebant: alii vero trepidi & meticulosi, ad solos aspectus truces, palpitabant præcordiis: nonnulli solis amoris illecebris operam dabant, & ludos continuo ludebant. Verum usque inter hunc populum animis discordantem, quædam regiminis forma, & per amorem timoremque inductum moderamen, erat; unusquisque enim ex solo vultu alterum

cognoscebat, & ejus naturæ motus quasi inscriptos legebat; quippe Sensus, qui erant in præsidiis, & perpetuas agebant excubias, illico cujusvis naturæ indicium, ad animam vitæ eorum principium immediate referebant, e quâ motus resultabant indiciis conformes, &, sicut ex oraculo, vitæ instituta & sortes effluebant. Nesciebant adhuc sua fata, post multa demum sæcula, se, sicut stamina ex suis fusis, evolutura; Equus quod ora sua capistris frænanda, & tergum sessile præberet; Oves, quod suas lanas in amictus; fugaces damæ, quod suas edules carnes epulandas, concederent; ita belluosa cætera turba: sed non erat ex numero unum, in quo non ante temporum tempora sui signati essent usus; tanta inde varietas, ut nihil deesset, quod usquam in numerum, aut usuum censum, potuisset venire.

28. Sicut florens & arborescens Tellus suis reptilibus, volucribus, & quadrupedis Animantibus, ita etiam Fluminum ripæ & fundi viretis amicti, suæ speciei aquatilibus vivis, primos natalitios dies aperiebant, & quidem eodem ordine, quo sicca Tellus, utpote primum illis, qui obscuriore luce fruebantur, ut Testaceis & Conchiliis, quæ domos gemmeo renidentes colore in perennes circulos aut spiras, ad modum se circumgyrantis cæli, sinuatas, a tergo circumferebant: postmodum Piscibus, qui navicularibus instructi remigiis gravem suam atmosphæram impulsu findebant; quique latioribus adhuc explicatis velis & alis aerem tranabant; tum etiam Amphibiis, quæ postquam aqueis perfuncta

essent epulis, ad secundas super Telluris stratis ornatas mensas proreptabant: denique majoribus Monstris, quæ latifundia aquarum, sicut suam firmam calcabant humum. Omnia jam Animantibus seu Animabus Corpore viventibus, plena erant: unumquodvis gramen, arbustum, & nemus quasi exultabat, quod jam suos sinus in lautitias pandere, & novis incolis opimas dapes & primitias ex se porrigere potuisset. Nihil erat omissum, nam ipsæ Atmosphæræ, ut & Flumina, suos receperant, alebantque indigenas, & eis omnem auxiliorum copiam sibi concessam, sponte offerebant. Sed quod adhuc Paradisi perpetuique ejus Veris naturas & vitas altius elevabat, erat, quod nihil non cujusdam novi Ovarii typum in se repræsentaret; ipsum hoc Vivarium in genere, specie, & individuo, Regnum ex iis perpetuo animaturum referebat; Viridarium seu ipse Hortus, similiter in suis speciebus, quicquid per omnia post eum sæcula Vegetabile futurum esset; prorsus ad imitamen Magnæ Parentis seu Telluris, quæ sicut Ovarium, simul, & in uno complexu, omnes Regnorum suorum fœtus continuit, & secundante Vere, unum ordine post alterum exclusit: ita Repræsentationes particulares erant Specula communium: ipsa etiam Tellus in se similiter Maximum Mundi Solaris Ovum effigiabat; Hoc enim ut exemplar & idea Ovariorum ex se existentium, simul, & in uno complexu, quicquid in Mundo suo, ejusque Globis, Telluris nostræ æmulis, temporis successu proditurum esset, portabat. Quid non in principiorum omnium Principio, seu in Divinâ & Infinitâ

Mente, ante origines originum, seu ante ortum Solis & Siderum, cui non potuit non, tam universaliter quam singularissime, simul & in uno complexu, ut præsens inesse & adesse, non solum quicquid Solaris Mundus, sed etiam quicquid Universum universorum, & Cælum cælorum, ex ovis suis, successive, absque omni & minimo casus errore, educerent (*t*). Hæc altera erat in novo Orbis Theatro Scena, tot festivis & campestribus Viventium ludis condecorata.

(*t*) Cujusdam Creationis ideam in ipsismet nostris Mentibus repræsentatam satis perspicue contemplari possumus: Mentes enim nostræ sibi primum repræsentant fines, qui sunt eorum primæ & ultimæ metæ, ad quas collimant: mox intendunt mediis seu causis, quæ sibi mutuo subordinatæ promoveant fines per effectus, ut existant usus; qua ratione etiam quasi Ova formantur, quæ a Mente animata, & per amorem finis concepta, mox etiam fota & exclusa, producunt vitales fœtus præceptæ ideæ conformes: in quibus apparet, quod ipsi fines & usus a causis & mediis in prima sua origine prorsus diversi fuerint, & in mente præsentes, utcunque sibi mutuo succedunt mediationes seu causarum series, quæ & ipsæ ante suum ortum, simul, & in uno complexu, eidem Menti inexistunt. Hæc si in Mentibus obscuris & finitissimis; quid non in Mente Divinâ & Infinitâ.

CAPUT SECUNDUM,

SECTIO PRIMA,

DE ORTU PRIMOGENITI,

Seu ADAMI.

29.

TELLUS jam suis collocupletata Vivariis, & tam amplifice instructa & ornata fructuosis delitiis, per gradus suos progressa & evagata tandem ad Veris sui mediam stationem, seu mitissimam temperaturam, pertingebat; jamque ad summum enisa omnibus emolumentis circumfluebat: Lactis stillicidia ex fertilibus & simul gravidis nuper ramis, ablactatis infantibus Feris, effuse emanabant, atque per novas venas ad radices maternarum frondium refluebant. Thalami graminei etiam melle ex favis tot coloniarum apum stillante, constipabantur, & cohærebant. Seres sua trahebant pensa, ac licia in rhombos connexa, ut viles merces, per Telluris faciem circumspargebant. Nulla non species Animans in suæ naturæ operas officiosa ferebatur, nec nisi quam venturi temporis usus & pretia, & quasi pro posteri-

tate documenta, concinnabat. Unumquodvis quâdam naturæ dote, ut strenâ, dum communis, etiam sui Veris, festos dies concelebrabat.

30. Orbis jam summa habebat; nec deerat alicui Sensui, ex quo non is exaltare posset suam vitam, ipsamque animam gaudiis replere. Pro Tactu, erat dulcis ipsius Veris tepor, uligine mixtus, qui allapsu suo unicuique fibræ eblandiretur. Pro Olfactu, erant fragrantiæ ex unoquovis frondis poro halantes, quibus differtus Aer intimos Pulmonum reticulares textus, & vesiculas, & sic ipsum Pectus, ultra suum modum, expanderet. Pro Gustu, erant exquisitissimi saporis fructus, & ex pampinea Vite ad humum defluentes racemi, quorum uvæ ore assumtæ ex quasi vivis ab intimo essentiis, penitus ipsas chyli sanguinisque officinas, & earum genium, exstimularent. Pro Auditu, concentus ille & amabile melos tot oscinum aviumque, quo campi tam modulate personabant, ut Cerebri interiores recessus eo delibuti possent contremiscere. Pro Visu, totus aspectus Cæli Tellurisque, quorum maxima Objecta a suis minimis ita distincte ornata erant, ut animos in omnes suas voluptates facile relaxarent. Sed deerat adhuc, qui hæc Sensuum oblectamenta ad quandam propriam Mentem, seu ad sui ipsius conscientiam & perceptionem, referret; quique ex Intellectus dote, ab omnibus his Harmoniis Formositatem judicaret, tum ex formositatibus Jucunditatem perciperet, ex jucunditatibus a suâ verâ origine fluentibus Bonitatem concluderet, & ex hâc demum Faustitatem caperet: deerat, inquam, ille terræ

Filius, seu Mens sub specie humanâ, quæ ex Telluris Paradiso intueri posset Cælestem, & ab hâc vicissim Terrestrem, & sic visu quodam interiori, utrumque simul complecti & metiri, & ex utroque conjuncto ad plenum ipsas sentire voluptates; proinde, ex quodam genuino lætitiæ & amoris fonte, omnium Largitorem Creatoremque devenerari, & præcolere. Nullum erat, ne quidem in minimis, objectum, e quo non aliquid Numinis instar elucebat; quodque non exinde gestiret se fruendum tali offerre Subjecto, quod pro se & pro singulis, Numini illi immortales celebrare gratias nosset.

31. Natura secundum institutum a Supremo Ordinem, omnes in Universo ordines in se complectentem, ex Tellure primum infimas exeruit dotes, tum superiores, demum supremas, & sic per gradus ad celsiora, & sua prima, se evexit. Unaquævis ejus Productio similiter a suis primis inchoata naturis se ad ultimum suum explicuit, & ab hoc, sicut a metâ, se ad sua prima retulit. Ita semper, quod primum erat, peracto ad ultimas stationes semigyro, se retro ad suum principium flexit (*u*).

(*u*) Quicquid ex Semine aut Ovo, & quicquid ex quâdam Mente, enascitur, sicut supra not. (*o*) indicatum est, hunc gyrum seu orbem percurrere tenetur: plantæ, flores & arbores, a suo semine explicant suam naturam, ac in truncos & ramos, sicut in sua Corpora & ultima membra, excrescunt, & ab his iterum ad sua inchoamenta revertuntur, seu semina concipiunt & excludunt; adeo ut omnis ille gyrus, quem peragunt, sit unice quidam causarum mediantium excursus, ob finem, ut ad prima sua redeant, & sic fructus aut usus edant. In Regno Animali consimiliter. Talis etiam constabat & ducebatur

Similiter magnus ille Ordo, qui cæteros aperiens & ducens, universum dirigebat, jam per suas mediationes & causarum excursus, se ad suum ultimum perduxit, & a suo ultimo ad suum primum redire constituit, seu ad tale Subjectum vitæ & naturæ, quod universim omnia & singula ad fontem suarum derivationum reduceret, seu, ad complendum orbem ab æterno præfinitum, ad Supremam & Creatricem Mentem referret. Jam omnia quæ Telluris erant, hanc ultimam exspectabant adoream; Cælum etiam hanc ut præsentem intuebatur, scilicet Hominem, qui quia primus in Infinitâ Numinis Intuitione, complementum esset, seu ultimum Creationis decus; is enim ima supremis seu naturam vitæ, & suprema imis seu vitam naturæ, committeret; nec sicut Animantia in Orbem ejus præmissa, quæ suæ vitæ instituta non ad principium suæ potestatis referunt, sed ad quoddam naturatum, e quo nihil se versus superiora extollit, sed illico se retro volvit, ac in animos & sparsas Corporis eorum naturas se reflectit.

32. Lucus erat in temperatissimâ Orbis regione, non sub Meridiano Sole, sed in mediâ quâdam inter

ordo a Maximo Mundi Ovo; Semina enim & Ovaria a Naturâ primâ & perfectissimâ sua primordia, & a posteriore ac imperfectiore sua incrementa, cœperunt; sed inverso modo se ab ultimis ad prima excludebant: similiter etiam fœtus Regni Animalis. Sed ut gyrus ille perficeretur, quo ultima conjungerentur primis, seu ad suum principium redirent, Humana Mens Corpore induta in orbem introducenda erat. Verum hic Gyrus erat Maximus Creationis; instat adhuc major, de quo in sequentium serie.

Polum arcticum Zodiaci & ejus maximam ab Æquatore curvaturam, cui Sol æstivus non a vertice radiis directis, nec a latere nimium obliquis, incumbebat; sed ubi quendam medium focum inter suum calorem & frigus, seu supremos ascensus, statuit, & sic unde a quodam annui sui ortus & occasus centro aerem subjectum præ cæteris mitissimo Vere potuit temperare. Hic, inquam, Lucus erat totus Pomarium, frondosis ramis mutuo complicatis ita densus, ut umbrâ suâ diurnos æstus frangeret, & dies adhuc blandius refrigeraret, & sic quasi Ver novum sub communi eidem induceret: heic etiam fluminula exsiliebant, quæ divergentia, aream ejus pulchre perforabant, ex quibus vapor a radiis usque sub comas arborum subtractus, & ibi pendens, deciduo rore humum continuo refocillabat. Hic erat PARADISUS IN PARADISO, seu totius nemorosæ & hortulanæ Terræ delitium & coronis; omnium etiam ultimo assurgebat, & hoc centrum radiorum Solis coronabat. In ejus iterum medio erat Pomus, quæ omnium pretiosissimum portabat ovulum, in quo tanquam in cimelio natura seipsam cum supremis suis potentiis & copiis, consummatissimi Corporis initiamenta futuris, recondebat: hæc Pomus ex eo dicta fuit ARBOR VITÆ.

33. Sed Ovulum hoc nondum fæcundatum erat, modo Natura in id, ut in sacram quandam arculam, suas præstantissimas gazas, & rerum pretia, congessit, & id tam nobili apparatu instruxit, sicut sponsa suum thalamum, dum sponsi adventum, & novi fœderis libamina, exspectat. Cum ita Natura,

ad omnem nutum, suum complevit opus, & suas quasi peripherias in hoc Ovum, ut Centrum, conduxit; tunc Suprema Mens ei obviam facta est, & ex se, ut ipsius vitæ Sole, concentratis radiis, supercælestem concepit formam, seu Animam, quæ vita esset, ac infiniti, per se Infinitum, capax; hanc nobili huic thesauro aut ovulo infudit (*x*). Hoc pri-

(*x*) Quid & qualis Anima Humana, ægre per nudam descriptionem secundum ipsas voces perceptam, in Intellectus nostri primas ideas cadere potest, nam est Essentia spiritualis, & ideo similibus terminis, quibus essentiæ naturales, non facile significatur & exprimitur: at quia terminis & formulis iis, ut auxiliis, omnino utendum est, ideo, ut percipiatur, per dotem ipsam intellectualem, quæ superior est, quasi sublimandæ sunt ideæ, & abstrahendæ finitates, quæ naturalibus insunt, & sic facultates ejus eminenti modo sibi repræsentandæ: Quomodo autem notio Animæ aliquatenus distincta Menti nostræ insinuari queat, in sequentibus tradere constitui; inde constabit, quod Anima sit unica Essentia in nostro Corpore, quæ vivit, adeo ut *Esse* & *Vivere* nostrum, sit unius Animæ, & cætera ad naturam pertineant, quæ vivere putantur, quia ex ejus vitâ aguntur; quare est substantia ita realis, ut per illam & ex illa proxime existamus & subsistamus, & absque illa non Corpora sed stipites simus; proinde quod nihil vere substantiale sit in vivis Corporibus, quam Anima, & quod cætera, ut accessoria, in ejus gratiam, adscita sint; ut fines, admiculante naturâ, per effectus promoveantur, ac in universâ illâ effectuum seu causarum serie, continui producantur usus; nam sublimior vita est Intelligentia, ac Intelligentiæ est, non nisi quam intueri fines, & per naturæ media disponere effectus, qui Usus dicuntur, quatenus ad finem consequendum conspirant. Per levem reflexionem ad operationes nostræ Mentis, satis clare perspicitur, quod intueri, disponere, & prospicere fines, sit prorsus diversum a causis & effectibus, qui adjunguntur, ut finis per intermedios fines, sicut causæ per medias causas, succedat, & gyrum suum perficiat.

mum erat omen connubiale Essentiæ Spiritualis cum aurâ supremâ Naturæ; ex constituto, ut fluens causarum orbis ab Infinito in Maximo Mundi Ovo conceptus, & ad hoc minimum perductus, intra naturam absolveretur, sed postmodum per nexum cum Infinito infinitus redderetur; utque per talem copulam Terrestre atrium Cælesti committeretur aulæ. Ab ipso hoc finium in fines, & usuum in usus, continuo influxu, perspicue elucescit, quod nihil non a Supremo Intelligentiæ & Sapientiæ Fonte profectum sit; nam non nisi quam Intelligentis est, Fines intueri, & Media in ordines disponere; nec nisi quam Sapientis, prospicere, & per suam potentiam agere, ut omnia, dum effectum, etiam finem, consequantur: Unius itaque Providentis, est, finium absolvere catenam, in quâ unusquisque uncus, & unci ligula, suum gyrum, ad firmamen totius, perficiat; ac insuper, ut concatenatio ista ex perpetuis fluat usibus, ita consociatis, ut unusquisque ad ultimum collimet, nec nisi quam fine suo in originem, & ab origine in finem, influat, & sic nusquam desinat.

34. Hæc Anima, e supremâ Mente eradiata scintilla, ut primum Ovulo suo inspirata est, actutum etiam puris ideis fines intueri, & sibi Universum repræsentare cœpit, nec solum Universum Naturæ, sicut Animæ brutorum, sed etiam simul Universum Cæli, cum ejus Copiis ac Intelligentiis: Cœpit itaque, ex quodam sacro igniculo, penitus ardere & gestire, ut quasi alis aut talaribus succincta, potuisset a summâ illâ, quam insidebat, arce, ad Mundi ima,

seu Atmosphæræ fundum, usque in ipsum Paradisum, Ovi sui natalem, delabi; & postquam ejus delitias, per organicas fores, seu sensibus, hauserit, inde sursum auferri, ac illas in felicitates versas, ex interiori sensu, ipsaque Animâ, in Cælo enarrare. Hæc & similia cum distinctissime in suâ ideâ versaret & conspicaretur, Media & adminicula circumspexit, quibus accincta suis optatis & quasi votis potiretur: dum his intendebat, en, illico, Natura, cum suis auxiliis, eidem secum hospitio aut ovulo inclusis, præsto erat, & se suasque potentias & virium vires, ad minimum nutus ejus signum paratissimas, & in quamcunque, luberet, opem evocandas, offerebat; erant enim tam ordinatissime inibi dispositæ, ut modo dum hoc Animans punctum ex umbilico sui ovi, fines in se repræsentatos, & a se contemplatos, actu intenderet, illæ quasi dictis aut jussis audientes, ex suis principiatis formis, sponte in obsequia ruerent. Natura enim cum Viribus substantiarum Mundi, ac Mundus cum Substantiis virium Naturæ, ita a nihilo excitatæ, factæ, instructæque sunt, ut Intelligentiis, Animabus, seu Essentiis Spiritualibus, sicut hæ suo Numini aut Creatori, tanquam succincti famuli, quos penes nihil est arbitrii, sed puri obsequii, inservirent, & in omnibus, quæ ordinibus conformia sunt, morem obsequentissime gererent; quapropter Natura est solum Mentium gratiâ, comparata, ut placita & decreta Supremæ Mentis, seu ejus Fines, in effectus describat, & sic in continuos usus vertat: Nam omnes actu & effectu fines intermedii, dicuntur Usus, ac eatenus veri usus sunt,

quatenus in suâ serie, proinde suo modo, ad ultimum, seu Finem finium, ducunt & conspirant.

35. Anima hoc desiderio flagrans, sicut Mens, ad imaginem Supremæ, etiam quendam Mundulum seu Microcosmum, ad effigiem Maximi, condere, sed non ex nihilo, ingressa est; ex æterno decreto, ut eo se pro Corpore indueret, atque in illo, sicut quoddam Numen, ageret, ex arbitrio per Intellectum jura administraret, & ejus naturæ habenas, secundum intuitiones suas, ita regeret, ut haberet modo intendere fines, tunc omnia, quæ usquam in eo ex fibris contexta essent, finibus illis conformiter, in obsequia, tam prone tanquam non jussa, ruerent; quo etiam Naturæ Universæ obedientiam erga omnium Potentem Creatorem, in se, ut in exiguo universo, repræsentaret, & testatam redderet. Nec mora, ex fonticulo suæ vitæ, tanquam e parvulo Sidere, in Ovi apparatum, virtutem suam, sicut radios, evibrare cæpit, & ex iis in cælestis formæ sphærulas gyratis, quendam Olympum, aut typum Cæli, quod Intelligentiis, & earum famulis Scientiis & Experientiis, incolendum addiceret, omnium primo designavit; & ex illo, ejusque vorticulis, tenuissima stamina, tractu nebulas æquantia, totidem fibrarum primas, eduxit, ut per eas Organici Corporis, ejusque Viscerum & Membrorum, telas expediret & concinnaret. Ita sua talaria, vel potius suas scalas, per quas a supremis Naturæ speculis, ubi jam residebat, ad ejus imum, & sic in Paradisum, posset descendere, construere exorsa est.

36. Sed modo adhuc Ovum erat, in quo hæc

ducebat inchoamenta, quorum secundum augumenta molliter intumescebat; Verum ut ex his auspiciis Divinum hoc compleret opus, nihil non cum suis naturis occurrens, ei adjutabilem ferre operam, studiose & vehementer contendebat. Ipsa Arbor Vitæ, ramum suum, qui aureum hoc & vitale gestabat pomum, in lenem & facilem se explicabat uterum, & hunc tenui libro, & molliculis foliis, operiens, vicinis frondibus alumnum subtraxit succum, & ejus vitæ unice consuluit: Arbores vicinæ etiam suum, ad radices hujus, centrum Luci coronantis, derivabant, gavisæ, quod aliquid vitæ, ex suâ vegetabili, eidem impertiri liceret. Sol ad ultimum hoc sui mundi Ovum, in quo Spirituale ardebat lumen, non ausus est cum suo lumine prope accedere, nisi per radios, qui per lucida trajecti poma, & sic in cujusdam floris quasi strias versi, immitiores caloris vires exuerint. Aer cum suo Vere & Zephyro quidem aspirabat, sed vetitus ut penitius invaderet, ne telam a supremis inchoatam, sui rudis & in ultimis activi spiritus afflatu, infestaret, & tenellos, adhuc in suis lineamentis, Pulmones, ante suum diem, expanderet. Arbutei surculi circum circa ad præsidia nati, suas quasi exporrigebant ulnas, ut frondosæ matris sustentarent onus, & nixum, dum paritura esset, exciperent; alii parabant cunas, & per Aerem a xylis advectum substernebant gossypium: Verbo, universa vicinia, datâ operâ, solers & officiosa incumbebat, ut nihil ei, novissimam mundi effigiem struenti, deesset: Nam omnia ita comparata erant, ut ad

arbitria Summæ Mentis, & ad officia hujus se accommodarent.

37. Nec solum Natura omnibus suis adjumentis præsto erat, & asserviebat, verum etiam Cælum suâ præsentiâ favebat; hujus enim Indigenæ, seu Mentes Spirituales, in ejus gratiam demissæ sunt, ut secundarent, & naturæ officia dirigerent; tum etiam ut arcerent, ne quicquam Lucum hunc sacrum infestaret: Illico enim, ut Animantia fera signatum ab illis limitem transcenderent, inopino terrore perculsa, longe in saltus suos aufugerunt; aut etiam succiduo poplite, sicut Principem & Dominum suum, veneratura, in genua procubuerunt; pars etiam excubias agebant, & e longinquo ipsum aditum custodiebant. Puræ enim Essentiæ Spirituales ita animos naturæ emancipitos, ex solâ a se redundante potentiâ ac vi, movent & percellunt, ut ignari & impotes in motus non suos ruant.

38. Omnia jam apparata erant; ramus parturiens secundum tempora gestationis, se per gradus, versus humum, declinans, tandem subinstratæ spondæ suum onus inaptabat. Cælestes Vitæ, candidâ amictæ nube, etiam adstabant, & nihil intermissum, sed omnia provisis conformiter, & obsequiose a naturâ, accurata esse, inveniebant. Hinc exactis mensibus, jam totidem annis, Fœtus, hujus fati, nam ad hoc suum stamen perduxerat, optime gnarus, ipse sui claustri compedes, & repagula, diffringebat, seque nisu suo, in mundum hunc ejusque Paradisum, a primis vitæ suæ momentis desideratum, exurgebat; & protinus Aerem levi osculo salutatum, & vi

suâ instantem, ut novum vitalem hospitem & spiritum, pro quo jamdum struxerat aditus & penetrales thalamos, naribus & pectore hauriebat (*y*); & ejus adminiculo palæstram exercitationum aperiens, operas sui corporis, quæ jamdum in potentiâ erant, & conabantur, in sua munia excitabat. Lectissimi flores circumcirca hoc cubile, ab imis suis meatibus jam exhalabant odores, ut per eos aeri attracto infusos, etiam penetrarent, & omnem Infantis sanguinem a Corde jam obvium & aeri occurrentem, lautis & epularibus donis, exhilararent: quicquid erat in naturæ Regnis, id, tanquam conscium, nam

(*y*) Quod per Spiritum Vitalem Adamo infusum Genes. II. 7, non intellecta sit Anima, quatenus Mens spiritualis, sed solum Aer, per quem Respiratio, & activa ipsius Corporis vita, non solum ex ipsis verbis, sed etiam a parallelis Sacræ Scripturæ locis, admodum clare elucet: Verba enim sunt, "Quum Iova Deus Hominem ex terræ pulvere formavisset, in ejus Nares Spiritum vitalem inspiravit, ex quo Animans Homo effectus est": Tam ex Inspiratione seu insufflatu per Nares, quam ex Animatione seu respiratione inde oriunda, patescit, quod per eum Spiritum, Corporis ejus vitam aperuerit. Præterea, quod Ventus & Atmosphæra aerea, quam Pulmones respirant, in Sacris, non semel Spiritus Divinus audiat, a locis, ut dictum est, parallelis & hujus interpretibus, constare potest; ut a Genes. Cap. VI. vers. 17. Cap. VII. vers. 15. Psalm. CIV. 28. 29. ut solum heic recitem Genes. VII. vers. 22. *Omnia quæcunque in terrâ vitalem spiritum Naribus ducebant, mortua sunt.* Exod. XV. 8. 10. *Ad Tuarum Narium Flatum coacervatæ sunt aquæ, a Te, spiritu illo flante, obruti sunt mari.* II. Reg. XXII. 16. *Narium Tuarum flatu atque Spiritu patefacti sunt Maris gurgites.* Job XXVII. 3. *Quamdiu durabit in me Flatus, & in Naso Divinum habebo spiritum*, &c. &c.

omnes Cælestes Copiæ hoc momento effulgebant, & influxu suo id quasi nuntiabant, quâdam excitatum festivitate, favebat, & huic natali honorem suo modo instaurabat: Ipsi Cælitum chori, hanc Scenam, quæ tertia erat, suorum luminum vibratiunculis, totidem lætitiæ & favoris signis, terminabant.

SECTIO SECUNDA,

DE INFANTIA PRIMOGENITI,

Seu ADAMI.

39.

MEDIA erat nox, & Cæli sidera, etiam quasi applausura, jam non nitidâ fulgebant face, sed quodam flammeo jubare coruscabant; etiam sistere ardebant suos lapsus ad occasum, verum Aurora in suum ortum festinans fulgura illa attenuabat, & actutum Soli aperiebat diem. Circumstabant Cælites, ut dictum est, & suis flammulis vitabant, ne radii alîus luminis primam hujus ejus vitæ lucem accenderent: lætificatæ etiam, quod Infantem, Generis totius Humani Primogenitum & Spem, conspicarent, supino pectore & ore, teneris complicatis & ad cælum sublatis palmis, cubantem, labella quoque motitantem, tanquam Supremum Conditorem suumque Parentem, sub specie purissimæ gratiarum actionis, quod Mundi opificium in se jam complevisset, non mente solum, sed etiam quodam habitu & consocio gestu Corporis, veneraretur.

40. Nudus erat, sed mitissimo Vere, sicut balneo, circumfusus: tam decorus & venustus facie, tanquam Divus non in mortalem natus vitam; ipsa Innocentia cum suo candore & puritate ex facie ejus renidebat; facies enim ita prorsus ad ideam Mentis suæ seu Animæ efficta erat, ut unaquævis fibra aliquem ejus radium in se lucentem & simul delineatum referret, sic ut Mens sub specie humana appareret: totus etiam sub ejus auspicio & moderamine agebat, nam secundum rationem existentiæ ab eâdem subsistebat, & quidem adeo, ut, dum illa se suo corpore intus oblectabat, vultus illico subridens ipsam Animæ lætitiam effigiaret, quod oris ejus venustatem multum etiam adaugebat. Ita jam Anima suum Corpusculum, sicut vis quædam activa suas potentias regens, ad omnia, quæ obeunda essent, incitabat, docebatque modum, quo se ad ubera, quorum plura maternus ramus adporrexit, inclinaret, papillas suis digitis premeret, lac ore sugeret, id linguâ & palato devolveret, post haustam copiam se cubitum remitteret, & perplura alia, quæ soli huic infanti, absque nutrice, in ipsum ordinem vitæ & naturæ, nato, & sub tutela Cælestium educato, inspirata erant: nam, siquidem ne vel minima eventura ejus actiuncula Opificis Omniscientiam ante Mundum ortum latere potuit, ita nec quidem minima Ejus Providentiam subterfugit.

41. Divæ illæ Essentiæ, seu Cælestes Imagines, quibus tutela hujus Infantuli, tanquam Thesauri Mundi, mandata erat, ei sicut Supremi Imperantis filiolo administrantes, provide & attente circum-

spiciebant, si quid a suppetiis a naturâ ferendis omitteretur; Natura non prius suam spontaneam intermisit operam, quam dum pupillus infans sub obsequio suæmet Mentis sibi ipsi prospicere posse videretur. Præterea Cælestes Custodiæ, ut corpusculum in hoc obsequium citius cresceret, suâmet adspiratâ virtute & adjectâ potentiâ accelerabant; nec solum circum circa stantes ei vacabant, sed etiam in ipsissimum Corpusculum, ejusque recessus adhuc umbratilibus membranis involutos, se infundebant: Cælestibus enim quia Essentiæ Spirituales sunt, in intima usque penetrandi copia datur, nihil enim, quod naturæ est, obstat, nam sicut in supremis etiam in intimis sunt, imo etiam cum ipsâmet Animâ Menteque quandam societatis & loquelæ speciem jungunt: hâc itaque salutatâ, singula quæ inibi organice texta erant, rimabantur, imprimis quæ intima ejus Sacraria circumstipabant, scilicet ejus Olympum in summo vertice adumbratum, quem Intelligentiis ac Scientiis incolendum addicturus esset (*z*); perquam exhilaratæ, quod eum ad effigiem

(*z*) Ubi hic Olympus, seu Cælum Intelligentiarum, aut clarius, ubinam Mens nostra intellectualis, residet, non datur aliud medium investigandi, quam ut sequamur ipsas fibras usque ad suum ultimum & primum terminum: nam omnis nostra Sensatio ad intimum suum Sensum, & inde ad Intellectum, secundum fibras, quæ Sensoriæ dicuntur, transit, ita a visu Oculi per fibras Nervi Optici, ab Olfactu Narium per Olfactorias seu Processus Mammillaris, ab Auditu per Auditorias duras & molles, & sic porro. Ut ergo terminus illarum primus & ultimus inveniatur, Cerebrum omnino trajiciendum est, nec prius quam in fibrarum finibus & simul inchoamentis subsistendum; trajecto itaque seu peragrato

Magni seu ipsius Cælestis tam ad vivum & normam delineatum deprehenderent, in quem ideo, delectatione allectæ, se mutuo invitabant, & sacro quodam ritu ac voto eum inaugurabant; id etiam gaudebant, quod unicuivis Intelligentiæ suam assignaverit quasi ædem; & singula hæc in repræsentationem Cæli siderei ordinata tam speciose disposuerit (*a*), ut

Cerebro, occurrunt sphærulæ mirabiliter gyratæ, quæ vulgo Glandulæ corticales dicuntur, ubi, quia fibræ ibi terminantur & inchoant, Mens nostra, si ex principiis omnium fibrarum, non alibi potest agere; nam ad illas, ut fines ultimos, omnium suorum sensuum modos & radios deducit & colligit, & ibi eos in spatiosum interioremque perceptionis intellectusque circum emittit; omnes enim fibræ, quotquot sunt, ex his Substantiis enascuntur & producuntur: quare hic nostrum Sensorium commune est, proinde etiam nostrum intimum, seu Intellectorium, quod ex sensibus suis percipit, ex perceptis cogitat, ex cogitatis judicat, ex judicatis eligit, ex electis desiderat, & demum ex desideratis, quæ vult, in actum determinat; heic itaque est suprema nostri Corporis Sphæra, & tanquam Olympus seu Cælum, nam inde, ut a Centris, seu intimis & supremis, cætera ut in peripheriis, seu infra, prospiciuntur. Quod Substantiæ hæ, Corticales dictæ, simul sumtæ, hoc nostrum Cælum constituant, etiam in luce experientiæ positum est, illis enim affectis, universa fibrarum appendix, id est, Cerebrum Corpusque, afficitur, contabescitque; & quidem secundum ipsissimum gradum modumque, quo illæ afficiuntur, vires imaginationis hebescunt, cogitationis languescunt, memoria marcescit, determinationes voluntatis hærent, desideria vacillant, & sensationes stupescunt.

(*a*) Quod sphærulæ illæ, Corticales dictæ, quæ sunt principia fibrarum, proinde etiam Cerebri late sumti, seu unà cum Cerebello, Medullâ Oblongatâ & Spinali, intellecti, ita dispositæ & in spiras circumductæ sint, imo etiam suis Circulis majoribus, Polis, & Axibus, instructæ, ut prorsus Sphæræ Cælestis formam æmulentur, alibi datur locus demonstrandi.

crederes ipsum Magnum in minimum concentratum suum typum, secundum quem id designaret, ei attulisse. Ipsum etiam Maximum Mundi Ovum, in quâdam effigie expressum animadvertebant (*b*), per quod, secundum geminos Axes, fibras suas, sicut radios, ab ipsis aulis & domiciliis Intelligentiarum eductas, in inferiores sui Mundi, seu Corporis, regiones transmisit & effudit. Denique quod ipsa Anima, instar Numinis, in intimis & supremis, suam sedem elegerit, ut nihil non, sicut extra & infra se positum, conspiceret & regeret: Præter adhuc plura, quæ signata erant, quorum ultimum textum, a primis, ut & a finibus a nexuum se consequentium serie elucentibus, ut jamdum effectum pervidebant.

42. Postquam tam luculente his gaudiis sibi indulserint, hunc diem Creationis ultimum, & Humani generis primum, Festis mandare, & ei indicere honores, consensu unanimo, decernebant; quapropter novum quendam Ludum, Paradisiacum dictum, nunquam prius in Cælis ludificatum, instituebant; sed non per choreas & tripudiationes, quales Nymphæ Terrestres in ludorum palæstris suisque gynæceis, sed quales, Cælestes Intelligentiæ, dum se in statum innocentiæ, & quasi infantiam, revehere discupiunt; illum enim ita per gyros, & mutuos

(*b*) Scilicet Cerebrum, quod non solum Ovo assimilatur, sed etiam omnes fibras a supradictis principiis exclusas, in se primum excipit, & mox transmittit, & denique illas per Medullam Oblongatam & Spinalem, hîc etiam corroboratas, & in Nervos collectas, undequaque in Corporis Provincias deducit.

quasi in se influxus ab ultimis initiabant, ut ex innumeris unum perpetuum & continuum inducerent; quod etiam obtinuit, per tales circuli sphæras & spirales sinus, visui nostro tanquam labyrintheos, sed usque in se distinctissimos, ut ne quidem unus in rhythmis numerus e concentu ut ambiguus efflueret; se enim a peripheriis per continentes circuitiones, & involutiones versus centrum, circensi sed perenni inflexu, insinuabant, ut singulæ se ipsas, per se mutuo insequentes modos, concentrarent, atque ita unirent, ut ne quidem una esset, quæ non se quasi in ipsissimo centro constitutam, videret; ita enim beneficio solius harmoniæ & formæ, a discretis in quoddam continuum unum coire poterant. Nec hoc satis erat, inde solum in sui ludi continuationem adhuc magis delitiosam, allectæ & incitatæ, ex hoc Centro, jam quasi communi, quia in singulas æqualiter diffuso, ipsa Corona Cælestium, ab interioribus metis, & universaliori gyro, ita adhuc perfectius, novos instaurabat orbes, qui similiter se ad Centra concinnarent, ut se iterum a priori unitate in omnes & singulas distincte continuatâ, in concentrationem intimiorem & sic priorem inferrent: quod idem Chorus etiam triplicabat, usque dum se ita consinuaverint, ut non amplius perpetuum quoddam, sed infinitum æmularentur, seque viderent ad supracælestis harmoniæ ideam ita junctissime consertas, & quasi initas, ut se vix plures, sed velut unum, inque centrorum intimis esse, ipso sensu perciperent; nam similiter ac Seipsas, etiam suas Mentes, harumque Delitias, adunabant. Mentem

etiam nostri Infantis, ex ultimo gyro, ubi constitutus erat, secum per has insinuationes versus intima transferebant, & sic cum illâ unitæ, ita conjunctim sicut Unus & Divinus ex ipsa unanimitate Spiritus, eum Supremo Numini sancte præsentabant, qui operum suorum fine, primo & ultimo, in illo repræsentato, delectatus, gratiâ & favore adventum propitiavit: quo Divino honore exsilientes ex hoc intimo Centrorum adyto, se iterum per similes circinationes & concentricos orbes, sed jam eodem ordine retrogyratos, se versus peripherias, extricabant, & evolvebant, seque ab uno iterum in plures explicando Infantem in suo ultimo circulo iterum reponebant. Ipsæ delitiæ ejus Animæ ex hoc ludo ab ore & oculis ejus tam lucide emicabant, ut Animam ex intimis in vultus ejus extrema quasi exsiluisse viderent: dumque cum illo in intimis essent, ipsum ex omnium delitiarum amænitate, seu ex concentratis felicitatum gaudiis, ita effertum observabant, ut Pulmones ejus, ex spirituum in fibris festivo stupore & amabili deliquio, sui aeris attractus reciprocare obliviscerentur: dumque ad peripheriam suam revectus esset, folliculi illi tam crebris & citatis vicibus micabant, ut ipsos rhythmos ultimos ludi, motiunculis suis, æmularentur. Per hunc Ludum, & hujus consimiles, ita tenellum Corpus in obsequia suæ Animæ, quæ sic in illius ultima evocabatur, excitabant, ut prorsus Mentis suæ sphæristerium, a primis suis naturis, agere videretur.

43. Ex his & similibus excitamentis, Primogenitus noster, a primo tempore enisionis in sui Mundi

lucem, sub observantiâ, & pleno ipsius Animæ, sui formatricis, moderamine, sicut delitiosus mimus, agebat, & tametsi corpore id nesciens, usque placita & scita ejus imbecillo actu effigiabat, & gesticulabatur ; in eo a posteritatis suæ sorte, & impotentiâ agendi, in suis tenerrimis, prorsus exemptus (*c*) : ita totus quantus, Anima, sub imagine Infantis Corpore induti, vivebat ; illa enim per suos quasi, non ejus, oculos, Paradisi venustates pellucere, videbat, seque non ex harmoniis effectuum, sed ex jucunditate usuum, & in iis contemplatæ bonitatis, oblectabat ; secundum ipsa ejus oblectamina, etiam ocellorum ejus pupillæ & irides, igniculo effulgebant : Animam enim nullius objecti usus latet, nam omnia ex fine & naturæ principiis contemplatur, ideo ex causarum

(*c*) Animantia bruta, quæ in plenam Animæ suæ obedientiam nascuntur, a primo nativitatis suæ momento, etiam imperant suis artubus & musculis, insistunt pedibus & gradiuntur, suæque naturæ functiones suprarecensitis adhuc mirabiliores, scite obire norunt ; & ab eodem momento Sensibus externis, pleno acumine, fruuntur : secus autem Genus Humanum in tenerrimâ suâ infantiâ : ratio est, quia Mente quâdam propriâ, quæ intellectualis & rationalis dicitur, pollemus, ex quâ ut ex suo fonte, procedit Voluntas : hæc nostra Mens est, quæ Musculis & Sensoriis Corporis imperat ; quare etiam Actiones, quæ mediis musculis determinantur, ejus sunt, & dicuntur *Voluntariæ*, quæ in tantum rationales sunt, in quantum a Mentis illius Intellectu puriori & sublimiori descendunt. Hæc nostra Mens, quæ Musculis & Organis sensoriis, ut dictum est, præest, non simul cum ipso Corpore nascitur, sed successu temporis, beneficio sensuum, aperitur, crescit, & perficitur ; quod in causâ est, quod in talem impotentiam agendi & sentiendi nascamur. Aliter omnino in Primogenito nostro, cujus Mens rationalis seu intellectualis,

ac scientiarum arcanissimis & intimis, in suo Corpore, perpetuo agit: eapropter ex visu suo novo illico appercipiebat, quid Corpori, ejusque secum nexui, prodesset aut officeret: Mimum itaque suum, sicut vis agens rotulam, prorsus ad lubitum movebat, quoque vellet, inflectebat, ipsosque ejus articulos & musculos ad effectus, sicut ipsa se ad fines, prorsus dirigebat; quare ad primum ejus intuitionis nictum Infantulus ex cubili suo reptabat, & digitis prehendebat obvia, sed modo convenientia, atque ea labellis, tanquam id sciret, decenter inferebat; iterumque ad suum stratum reptatu se referebat: imperans illa Mens quandoque etiam eum supinabat, ubi ipsa stillicidia lactis recta in osculum ejus deciderent: ubi fragrantes stabant flores, eò etiam manus ejus exporrexit, admovitque naribus, ut olfactus ejus organum excitaret: similiter ad avium cantus arrigebat aures; nec quicquam alicui ejus sensui gratum erat, quod non naturæ ejus Corporis conduceret. His aliquoties in die operatis, ipsa eum

non simili modo, seu a sensibus Corporis erudienda perficiendaque erat, sed ab ipsâ Animâ, ministrantibus & famulantibus modo Corporis Sensoriis; in integerrimum enim statum, & in ipsas perfectiones, natus est; quapropter non potuit non, ejus Animæ, plena potestas in ipsos Musculos & Sensoria Corporis, absque hujus Secundariæ Mentis ejusque Voluntatis mediatione, a primis vitæ horis, esse data: quod vero in ejus posteris aliter obtineat, evidentissimum imperfectionis signum est. Verum absque clarâ perceptione, quid Anima, & quid Mens intellectualis, & quomodo una alteri juncta, & una ab alterâ, distincta sit, non facile rationum veritates, in his perspicere licet; ob quem finem, his elucidandis, opera, in sequentium serie, impendenda est.

sopivit, forte etiam cum susurro & oscillationis motu intus excito; dumque Paradisi utilitates revisere vellet, eum expergefecit; id perpetuum erat, quod indormiti palmas, arcte complicatas, versus Cælum sustulerit. Sed hæc omnia, Supremo Numine Providente, imo agente, qui in omnibus & singulis est solus agens, quia solus vivens; ab Eo enim, quia ab Ejus vita, vivimus, & vivendo agimus.

44. Anima quantumvis se in Corporis formam transcripserit, & finium suorum exequendorum gratiâ, sui typum, tanquam perpetuam quandam usuum palæstram, ex fibris a se eradiatis, efformaverit; ejusque continuis, & in perennes circulos circumductis, meatulis & poris, fluidas & graviores insuderit essentias, quæ hanc ejus effigiem pondere suo deorsum premerent, & telluri, ut ejus incola esset, quasi affigerent (*d*); ipsa tamen in ejus su-

(*d*) Ipsissima forma Corporis, in fibris suis spectata, est a solâ Animâ; nihil enim non a fibris ibi est compositum, ipsa Vasa sanguinea, imo Ossa, a meris fibris concinnata sunt; est solum congregatio earum, quæ facit ut formæ inferioris & corporeæ sint, atque appareant; & dispositio in formas, ut hunc non alium usum præstent. Omnis, quæcunque inest Corpori, fibra, ab Animâ educta est, nec ab alio quodam principio, nisi prius ab eâ formato. Ut vero Corpus sit, & appareat, quod vi suæ gravitatis deorsum seu versus Tellurem tendat, in opem adscita sunt elementa terrestria vi inertiæ prædita, & hæc humoribus, cumprimis sanguini, qui vasa & canaliculos, a fibris istis fabricatos, percurrunt, infusa; horum, & simul compositionis fibrarum causâ, Corpus nostrum grave redditur, & viribus agendi, in ultimis his Mundi, instruitur; unde liquet, quod Sanguis imprimis ob hanc causam, in opem vocatus sit, ex quo præcipue hæc animæ effigies, Corpus & Caro, audit.

premis & intimis, & sic dum in suo, etiam in Cælesti Palatio residens, typum suum, seu machinulam, semper ad se, & sic versus superiora, elevare conabatur, omnesque tenelli Corporis fibras, deorsum ab accessoriis inertiæ viribus detractas, ut sursum niterentur, jugiter inspirabat. Infans enim reptilis adhuc erat, nec a ferarum ritu gradiendi abludens; quod Anima efflictim indignata, eum in sublime tollere, inque suos pedes erigere, summopere studebat; quem finem cum intenderet, non deesse poterant media, nam ex artium & scientiarum omnium centris & adytis auspicia suarum operationum capit, & sic ad omnium finium necessitates, naturæ operas, disponit; hinc varios, sed simul amabiles machinata est dolos; flexit enim ejus oculos ad pulcherrima editius e ramis pendentia poma, inflavitque cupiditatem, ut illa digitis suis prehenderet, addidit etiam musculis vires; similiter racemos a vite sua altius positos, sed deorsum fluctuantes, incendebat etiam iis vescendi amorem, ut ramis adclinatus se in altum juvaret: his & parilibus delinimentis & quasi crepundiis, vultum ejus ab humo in sublime prolectabat. Cælestes etiam Genii illis Divinam suam adjungebant solertiam, & fictis eum ludebant & circumveniebant allectamentis; jam enim supra ejus oculos pendulum repræsentabant Paradisum, corymbis & florum corollis, ejus genio adblandientibus, cinctum & laciniatum; jam autem Infantes, tanquam fraterculos, præpetes & alatos, ac versus ipsum, ludendi gratiâ, devolantes, sed mox in altum se attollentes, quos cum insequi niteretur, eum etiam, tanquam

similibus alis, in quas se libraret, se esse cinctum, credere inducebant (*e*). Cælicolæ enim, coram oculis puris, ac mentibus, a terrenis amoribus, vacuis, quidvis repræsentare, & simul eas, quo, lubet, studio & ardore, incendere queunt. His ludicris adblandimentis, & amænis fascinis, Infans noster, intra aliquot dierum spatia, in talos evectus, ad Sidera & Cælum erecto vultu, incedebat; nec eum, & tunc ægre, demittere volebat, nisi quum cibis super omnes Telluris mensas paratis vesci, solius Corporis reficiendi causâ, discuperet.

45. Sed hæc solum erant proscenia, ac per naturæ ejus amores, inaugurationes Musculorum in suas vires activas & motrices, atque organorum in sensationis suæ modos; cumprimis in gratiam, atque obedientiam, Vicariæ & succenturiatæ Mentis, quæ, rationalis futura, Intellectu & Voluntate adornanda

(*e*) Sunt quidam ipsius naturæ Corporis Amores, qui se omnium primo in recens natis manifestant, scilicet appetendi illa, quæ ad unionem partium & formarum Corporis constabiliendam & restabiliendam contribuunt, sicut alimonias, quæ conveniunt, ut lactes & similia; ipsa naturæ indigentia, quæ se per famen & sitim, eique adjunctam cupiditatem & oblectationem prodit, hunc amorem excitat, nec solum erga ipsa media, sed etiam erga causas mediantes & ministrantes, sicut erga Alumnas, quod se imprimis manifestum reddit per speciem odii indignationi junctæ, quasi invidiæ, quæ amori isti contraria est affectio, quando sui similes infantes in Genitricis aut Alumnæ sinum etiam adoptantur. Inter naturæ amores etiam referendus est amor erga sui similes infantulos, nam se quasi in illis, & sic quandam unionem, conspicantur & percipiunt; amor enim est affectio unionis, & talis amor ex vitâ Animæ in ipsam Corporis naturam, ubi ipsa per fibras suas omnipræsens est, diffusâ, resultat.

erat, cui Anima habenas ipsius Corporis traderet, dum ipsa ejus naturæ ordines regeret. Jamdum enim, ob provisum ejus adventum, ex primo stamine, Olympum illum signavit, & in eo, sicut in sacrificâ æde, tria instruxit Penetralia, quorum intimum, Adytum dictum, ipsa Anima, tanquam Munduli sui Diva, ac utriusque Cæli incola, sibi reservavit; alterum vero, Sacrarium nuncupatum, Intelligentiis in *Unam Mentem* unitis, ut proprium dicavit; tertium autem, sicut Atrium, Scientiis cum suis Veritatibus concessit: eam etiam, ante reclusas portas, sancivit legem, ut Scientiæ, sicut famulæ, omni Intelligentiarum studio asservirent; Intelligentiæ vero, quâdam religione obstrictæ, Animæ suæ, ut Summæ Imperanti, primas tribuerent, & dum suis officiis, ejus etiam saluti, operando, faverent. Talis erat designatio, sed temporis, ut nascerentur, dumque adoleverint, sicut sponsæ, in hos suos penetrales thalamos, introducerentur. Ipsa enim Anima, Regni sui clavo, sola, absque vicariâ per hanc Mentem administratione, assidens, nihil potuit velle, nisi ipso fine, ex sua necessitate, imperante; ita erat sub ipsius finis obsequio, non autem finis sub ejus arbitrio: Cum per Infantis sui oculos amænissima Paradisi Theatra, non harmonias nisi per utilitates, & has penitus fini ultimo involutas, & simul quod in rem sui Corporis conducerent, intuebatur: cum vero se versus Cælum elevaret, fere sui Corporis oblita, ejus & suæmet naturæ operas deserebat: quandoque etiam illa sursum, corpus autem deorsum, ferri, & quicquid inesset & remoraretur terrenum, a

se disjicere, nitebatur; sed obstabat necessitas finis; quod Anima in se, tametsi non a se, sed a Supremo Numine, appercipiens, nihil prius, quam Mentem quandam, quæ ex affectione boni comprehenderet verum, & ex intellectu veri desideraret bonum, quæque Cælestia conjungeret terrestribus, ac utraque in se, sicut trutina bilances, juste libraret, in votivum suum Olympum inferre, avebat.

46. Anima, ut hanc Mentem, vicem sui in Regno Corporis obituram, excitaret, non secus ac Ludimagistra Oculum instruebat, per quem Natura cum sui Luminis modificati radiis influeret; illum ideo ad venustas & visui lenocinantes formas, obvertebat. Cum Infans adhuc reptatu, sicut terræ vermis, umbram suæ vitæ ageret, tunc Anima, elevatâ fronte & palpebrâ, plenum ejus visum in rutila & amænissima floreta effundebat, ut simul & uno haustu, partium communissimam ideam induceret: postmodum sphæristeria ista ad peculiares florum species dirigebat, cætera, circumjectis quasi velis, ne visus in communiora evagaretur, celans; & demum illum in aliquot & individuis flosculis fixum concentrabat; simul etiam pulchritudinis eorum amænitatem, ex afflarâ quoque odoris dulcedine, inspirabat, ut eos manu prehensos, & naribus admotos, propius lustraret. Ita novam istam Mentem, quæ intellectualis futura esset, prorsus secundum ideam Creationis, condere ingressa est, scilicet ut omnia simul complexa, sicut in ovum, cito injiceret, in quo cætera, successive per seriem insinuata, distingueret, & dein explicaret. Cum autem Puellum suum, ab humili

illâ vitâ, seu a reptatu, in pedes sustulerit, tunc, similiter, ei totum Paradisi hortum, alte usque ad frondium comas spectandum, & per gradus, pauciores arbores, & tandem unamquamvis studiose intuendam objecit, & obligavit: ac ultimo in Arbore suæmet vitæ, ejusque ramo adhuc lactente, figebat. Postmodum Animantia in ejus aspectum introducebat; nam nihil non obsecundabat Animæ votis, sicut decretis, imperante fine, id est, Supremâ Mente, e quâ omnium finium in causas imperia: Illa cum suis catulis, novo naturæ impetu, ex saltibus & lustris suis condicta, & catervatim in lucum irruentia, se sponte in turmas & legiones, secundum genera & species, ita ordinabant, ut tanquam unum armentum, in ejus visum, caderent: dein autem distributa in species, & postmodum discriminata, singillatim, demisso ad humum vultu, honoris præstiti signo, discedebant. Cælites etiam per scitas suas Repræsentationes, ad oculos ejus faciebant enasci flores ex semine, quod postquam suos caules & germina in solia extruserit, reclusis & concentratis iterum in suas primas potentias succis, nova semina excludebant: præter adhuc plures fructuosâ jucunditate, & jucundâ intelligentiâ plenas formarum species, quarum spectaculo ardentes oculi, illa ut nova visus objecta, per fibras, usque in penetralia futuræ Mentis, transmittebant.

47. Anima ab adytis seu centris sui Olympi, ut jugiter speciosis illis formis, quæ, sicut novi hospites, se per fores & cameras visus insinuabant, obviam iret, splendidissimam suam lucem, per

gradus, paulisper attenuabat, & minus splendidâ se præcinxit pallâ, & tandem ad ultimum postem deveniens (*f*), se umbratili, sed usque pellucidâ amiciebat togâ, addidit etiam Gemmas sed crystallinas: ita e novo semper se composuit, usque ad occursum Imaginum, quæ a Luminis Solaris radiis suam formam mutuantur; quas visas, sub ipsum limen, circa ultimum suæ scalæ gradum, amicis osculis & amplexibus excepit: hæ vero cum redderent vices, illico se reformatas sentiebant, adeo ut dum se mutuo inspicerent, sorores se non amplius dignoscere possent; nam Diva illa seu Regina, osculo suo & amplexu, iis, vitam ex suâ, infudit, ut non

(*f*) Sicut supra indicatum est, ipsa forma Corporis, in suis fibris, quæ omnes & singulas fabricas excitant, est solum ex Anima; nam fibræ sunt ejus productiones, quarum primæ, quia non convenit nomen productionis, illæ ejus eradiationes, seu harum determinationes, appellatæ sunt. Ut ergo illa tam in ultimis quam in primis esset, seu in infimis sicut in supremis, fibras, in quas essentiam de se transcripsit, ita iterum & iterum composuit, & compositiones vasis sanguineis, etiam ex fibris ejus conformatis, instruxit, ut sub specie Corporis Organici apparerent, & simul præstarent usus, quos, a primo stamine, ut fines, intenderat. Nihil enim præter Animam in Corpore vivit, ejus est omnis illa vita, quæ Sensibus inest, quia fibris, quæ modificatæ illico secundum formam suæ compositionis, sentiunt; quare Anima dicitur a suo adyto, seu summâ æde, per gradus tanquam scalæ, descendisse, dum a formâ suâ supremâ ad infimam. Anima enim tam realis substantia est, ut omnes Corporis substantiæ, quæ vivendo agunt, ex illâ sint, & audiant substantiæ, sed compositæ: Quippe omne Compositum est modo substantiarum suarum simplicium aggregatum; nec quicquam est vere substantia, quam suprema, quæ ideo vocatur substantia simplex.

sicut Imagines, sed sicut Ideæ, apparerent: ipsas etiam earum Harmonias convertebat in Pulchritudines, & quicquid ex earum allisu cardinem istius postis leniret ac mulceret, in Oblectationes & Jucunditates; similiter omnes istius Luminis Modificationes, per solam vitæ ejus aspirationem, in Sensationes, mutabantur; hunc primum postem vocabant suum *Oculum.* Spectatissima hæc Regina has advenas dextrâ usque ad primum Atrium suæ Aulæ, ubi perplura ordinatissime structa erant diversoria, deduxit, & cuivis suum assignavit hospitium, ut in eo, sicut in abducto a se recessu, demorarentur, usque dum in suum aspectum inde evocatæ, in Aulæ suæ interiora admitterentur; hic locus dictus erat *Memoria.* Mox autem adscititios & umbrosos cultus exuens, se recomposuit, & eas in superiores thalamos, seu Sacraria, decenti ordine, invitavit, easque iterum novâ & puriore vitâ afflatas ita animavit, ut dum se rursus intuerentur, tanquam e mutuo conspectu disperirent, & minus adhuc, quam infra in limine se recognoscerent, ita enim a lumine ejus resplendescebant; nam quæ prius sub effigie sicut Ideæ visæ erant, jam per mutuas consociationes, se transformatas in *Rationes* appercipiebant, quæ tamen a priore suâ formâ cognominatæ, *Ideæ Rationales* seu *Intellectuales* vocabantur, Idearum istarum Pulchritudines, quæ olim Harmoniæ fuerant, jam in Bonitates, atque earum Oblectationes & Jucunditates ex pulchritudine fluentes, in Gaudia & Faustitates, ita prorsus in Cælestes formas, renovatæ (*g*). Has vero

(*g*) Voces unius formæ, alteri non conveniunt; prioris enim

iterum in decentissimos ordines distributas membris & organis, ut Corporeas æmularentur species, instruxit, & tunc eas non amplius Ideas rationales, sed Veritates, nuncupabat. Has ita conformatas, & munditiis simplices, in prima sui atrii, seu Memoriæ, cubicula remisit, cum mandatis, ut ad omnem nutum, & primum evocationis signum, paratissimæ, in Sacrarium evolarent. Ex his demum Intelligentias genuit, quas, ut unanimes viverent, *Intellectum*, appellabat.

48. Mens illa, seu Anima, his Intelligentiis, suis filiolis, quas per connubialem vitæ & naturæ tædam ex Veritatibus conceptas progenuit, a primâ utriusque eorum lucis usurâ, castis suis uberibus admovit, & eis præter vitam, etiam purissimum amorem, cum lacte suo, instillavit; nam sicut Lumini Naturæ non solum splendor lucis inest, sed etiam calor, ita quoque Lumini Spirituali, non solum Vita, sed etiam Amor. Hunc Spiritualem ignem, tam ingeneratum quam illactatum, ita per naturam eorum Corporis, sicut quendam sanguinem transfudit; ex quo, tantâ amænitatis flammâ, quantâ in suo primo ortu Aurora, effulgescebant. Indies potentia sapiendi, sicut viribus

accidentia & modi, sicut ipsæ substantiæ, se immutant: ideo in superiore sphæra, quæ dicuntur Bonitates, in inferiore audiunt Pulchritudines, in infimâ Harmoniæ; seu quod eòdem recidit, quod in superiori est Gaudium & Faustitas, id in inferiori est Oblectatio & Jucunditas; & sic in reliquis; remanet solum species imaginis, & per eam correspondentiæ; nam prorsus resolvenda est forma inferior, ut existat superior; & vice versâ, superior componenda est in novam, ut existat inferior, cum suis prædicatis & adjunctis propriis.

agendi, ac venustate, crescebant: sunt enim ipsis Intelligentiis, seu Intellectui, suæ infantiæ, & sapiendi progressiones. Illæ a primo stamine, sicut etiam a lacte, ex vitali hoc ardore, Matrem suam ita deamabant, ut se ab ejus amplexu, nisi cum quâdam infantili displicentiâ, ægre divelli paterentur, ac licet dimotæ, usque hærebant in ejus intuitu, ut quod nequirent ulnis, visu consequerentur: Amor enim est affectio unionis, & quidem purissimi est talis, ut alter se prorsus videat in altero, naturâ quidem, non autem mente, separatum. Hi infantiles genii, a lactisugiis desueti, ex amoris istius lenociniis, tantis gaudiis differti quasi diffluebant, ut illis nihil non exultare & ludere videretur, cumprimis visis Harmoniis, quæ in Pulchritudines, & demum in Bonitates, reformatæ erant; felicitates ex suis gaudiis resultantes etiam in se sentiebant, at nescientes adhuc, quod felicitates essent, sed modo quod pura gaudia; postmodum autem intelligentiores factæ, & existimare & percipere cœperunt, quod gaudia ista & felicitates ex Amore, ut ex suo sonte, profluerent: imo etiam ex lumine suo perspiciebant, quod Veritas, Bonitas, & Felicitas, ab Amore ad Amorem, tanquam per gyrum, se continuo referrent; quare nihil prius, quam Amoris illius complexum ardebant: ita intueri cœperunt Amorem ut finem, & reliqua sicut media ad illum ducentia, quæ etiam propter finem amarent; nam in mediis finem quasi præsentem inspexerunt. His apperceptis, piissima Mater, omnibus lætitiis quasi exultans, infantes suos, quod fines ex desiderio vellent, & intuerentur, prorsus ut

sui imagines, in summis delitiis habere cœpit, ac inter suaviationes, illas non amplius suas Intelligentias, sed *Sapientias*, salutabat.

49. Tandem hæc felicissima sibi visa Mater, convocatis in unum suis filiabus; & simul ex atrii conclavibus, earum vernis & famulitiis, quæ circum Sapientias, jam heras suas, in formam pulcherrimæ Coronæ, se ordinabant. Dumque aciem suam in omnes & singulas diffuderit, in media concione ita exorsa est loqui: Meæ dilectissimæ Gnatæ! instat tempus, ut discedamus, Vos in vestra Sacraria, Ego in meum Adytum; mementote, Filiolæ! quod ego sim vestra Parens, & quam trahitis vitam, de meâ sit, ita per ipsum Amorem vobis devinctissima, ut mente sim in Vobis; ita quamvis discedimus, usque nihil nisi sub meo auspicio agere potestis; Lumen, quo intuemini fines, de meo est, quia per me; vestrum modo est, circumspicere, & disponere, media, ut fines nostri effectu & usu existant (*h*). Vos non

(*h*) Activitates novæ hujus Mentis, sunt cogitare, judicare, concludere, eligere, & velle, proinde ejus sunt tam Intellectus quam Voluntas. Hæ omnes Operationes, seu Activitates, sunt meræ Variationes formæ, quæ, ut Vires spectatæ, dicuntur Mutationes status; nam sicut ipsa Anima est realis substantia, ita etiam hæ formæ, organicarum ejus primæ & supremæ; nam eòdem recidit, si formas vel substantias dicas, nulla enim substantia a Deo producta, datur absque formâ, inde trahit illa suas facultates agendi, & qualitates. Quales vero sunt Variationes formæ, seu Mutationes status, non bene appercipimus, nisi a formis, seu organis visui nostro subjectis; horum omnia & singula in potentiam innumeris modis variandi suas formas instructa & fabricata sunt; Musculi nullam actionem, nisi per variationem suæ formæ a fibris motricibus deter-

modo Intellectu, sed etiam Voluntate adornavi ; ac ita fines meos vestris arbitriis subjeci. Sed Vos iterum & iterum precor & obtestor, ne alium in-

minatæ, edunt ; nec Viscera totius Corporis, ullas operationes, nisi per similes mutationes. Quo autem Substantiæ priores aut superiores sunt, eo non solum habilius, sed modis, ut ita dicam, infinitioribus, suas formas variare, seu status mutare, possunt, adeo ut in supremis tanta sit potentia illas variandi, ut omnem calculum, ac omnes omnium calculorum series, excedant ; nam ipsa illarum perfectio, quia activitas, in variabilitate suæ formæ consistit. Ut per aliquam ideam, Variatio ista comprehendatur, sit Forma circularis exempli loco, illa in nullas non species Ellipsium, Cycloidum & Curvarum se patitur variari ; ipsa Ellipsis in infinitas sui similes & dissimiles ; Forma vero perpetuo circularis seu spiralis, quæ est superior, in adhuc plures, quia non immediate unicum Centrum, ut fixum, sed integrum quendam circulum, aut aliam curvam e familia circularium, centri loco, respicit ; inde crescit illa ejus potentia adhuc in quandam infinitatem ; ita semper amplius in Formis adhuc superioribus. Sunt itaque reales activitates, quæ nostras ideas producunt, & quidem tam reales, ut ad captum, imo ad visum, demonstrari queant : proinde Intellectus ab activitatibus suæ formæ, sicut Visus a sui Oculi, & Motus a sui Musculi, fluit ; quare ille nec inconvenienter vocatur Visus interior. Hæ Variationes non existere possunt in primâ nostrâ infantiâ, nam in eas per sensationum nostrarum influxum, qui fit secundum fibras in ipsa principia fibrarum, ubi ipse Intellectus residet, inaugurandæ sunt. Ipsæ vero Determinationes voluntatis in actus, etiam sunt, in iisdem principiis Organorum, Variationes seu Mutationes, sed non tales, quales sunt perceptiones, imaginationes, & cogitationes ; sunt enim Variationes dimensionis, seu Expansiones & Constrictiones formæ datæ ; nam per illas, sicut Sanguis e suo Corde in Arterias, ita Spiritus, animalis dictus, a suis corculis seu substantiis corticalibus in fibras, ad excitandos Musculos, exprimitur : quod ita sit, omnis Experientia & Scientia confirmat.

tueamini & ambiatis finem, quam Optimum, id est, Amorem Supremi, vobis cum vitâ & lacte inspiratum, nam ille est finis finium, primus ultimi, & ultimus primi; ex illo sunt omnia, quia ille est omnium; inde vestræ faustitates, & faustitatum felicitas; ex amore vestro amamini, & ex amore Ejus amatis; inde lux vestrarum intuitionum, & sacer vestrarum actionum calor; ejus enim luminis radii sunt totidem veritates, & ejus radiorum ignes sunt totidem bonitates. Hujus & vestri amoris gratiâ Regno me abdico, & ejus clavum vobis regendum trado, tantum enim vas depereo: En itaque jam me vestram, nec amplius jure Matrem, sed sodalem & ministram. Verum sollicitâ Vos prece, meæ Dilectissimæ & Charites! ambio, recordamini meæ, dum vestræ, salutis, nam mea salus & felicitas in vestro arbitrio est, animam enim meam, vobis addixi: his dictis utrinque obortæ sunt lachrymæ, in mutuos delapsæ sinus, quia in amplexibus hærebant.

50. Sed post aliquam silentii moram, verba lachrymis intercepta retentavit; ac Natas alloquens, ita pia sua solvebat ora: En Regnum, quod Vobis addixi, a me, in vostri favorem, instructum, est, ut videtis, parvulus Universi typus, ad exemplar Maximi, ita formatus, ut ipsa Natura, nisi cæca foret, seipsam & Mundi sui effigiem, in eo internoscere posset; sed eum naturis, seu potentiis & viribus, a mundi ejus exemptis, scilicet propriis, attamen ad normam ejus, adornavi; ob finem, ut ille non ejus, sed vestris conatibus & determinationibus, obsecundaret; quare non plus juris in nostrum

mundum ei dare ausa sum, quam solum ut ejus ordines & status communi auxilio firmet & sustentet (*i*). Illum etiam ex meris concinnavi Centris,

(*i*) Quod Mundus noster Animalis, qui etiam Microcosmus appellatur, a propriis naturis, seu potentiis & viribus, regatur, a multis constare potest; nam Sanguis tam prone sursum quam deorsum in Vasis ejus fluit; cæteri Humores similiter; tum etiam Alimenta in Ventriculo & Intestinis; nulla gravitas seu centripetentia, nisi per vires proprias activas, inducitur; quare ejus natura prorsus a natura Mundi circumflui exempta est: hæc est, quam Anima nostra regit; ita naturæ aliquid immediate tribuere, est derogare regimini nostræ Animæ, sicuti Mentis nostræ Voluntati, si actiones naturæ adscriberemus. Jam quia noster vivus Microcosmus, ex eo quod propriam naturam possideat, a jure Maximi seu circumambientis discedat, expendamus, quid ab illo, & quid a se ipso, trahit; I. Microcosmo Animali Atmosphæræ circumflui Mundi incumbunt, puncta ejus singula, vi & pondere, secundum activitatem & columnam suam, premunt, & sic quicquid ad ipsum spectat, indivulsum in nexu continent; Ipse vero contra has vires, gravitates & incumbentias, parilibus suis reagit; sic ut libra stet in medio, & actio reactionem æquet. Similiter dum Atmosphæra in Pulmones influit, & Corpori, ejusque Membris, motuum vires inspirat. II. Atmosphæræ etiam, cumprimis æthereæ, aut priores, partes ejus singulas, proinde totum, ad centrum suum gravium urgent; scilicet, ut nos depressi in fundo Atmosphærarum super Telluris subjectæ glebas gradiamur, & ibi sedes nostras, hospitia, & contubernia, exstruamus. In cæteris, ad quascunque libet, plagas & directiones, Corporis nostri lora ipsi regimus, & propriis gubernaculis Regnum administramus. III. Insuper Atmosphæræ, per reliquas suas naturas, nobis ministrant & inserviunt, sicut per Modificationes, quibus in Organa nostrorum sensuum influunt, & res objectas, tametsi distant, ut præsentes & quasi contiguas, sistunt, & repræsentant: has Sensoriis nostris Auditus & Visus capimus. Nos eas ut proprias nobis dicamus, vitâ donamus, & in Sensationes vertimus. Similiter etiam sub-

in eum ordinem dispositis, ut hæc peripherias, hæc axes, & hæc diametros, junctim effigient; scilicet ut omnia, sicut mera æquilibria, ad placita vestra secundissimo more fluant, & nulla potentiarum Voluntati vestræ, vel minimo ausu, hiscat resistere(*k*).

stantiæ vi inertiæ præditæ, quæ ad puriorem tactum in Organis olfactus & gustus pertingunt. IV. Atmosphæræ etiam suorum statuum mutationes, sicuti Calores, Frigora, Temperies siccas, humidas, Motus voluminis partium, Tempestates, & plura, nobiscum communicant. Nos vicissim nostri Corporis status, & ab intimis fluentes mutationes, æstus, hyemes, temperies, & animos varie affectos, eis opponimus, ne illi, clandestino introitu, altius penetrent, quam quosque natura nostra potestatem facit, ut ab eis afficiamur. V. Atmosphæræ etiam Sanguinem & Spiritum nostrum, Elementis ex salinâ matrice sublimatis, & sic occultis, cumprimis, per Ambitum Cuticularem, & Vesiculas Pulmonares, insinuatis alimentis, nutrit, reficit, & jugiter novat. Similiter etiam Tellus ex triplici suo Regno, sed per aperta orificia, & tubos, in Viscera chylopea & sanguigenea. Nos vicissim, his porrectis & invitatis cibariis & donis fruiti, obsoleta, munere suo defuncta, inepta, quæque polluerent hospitia, per poros in universi campum disjicimus, ut & per alvi fores exoneramus. VI. Obis terraqueus & atmosphæricus, hunc Mundum Corporeum ex elementis suis enutritum, & conflatum, jam vitâ suâ functum, ultimo in sinum suum recipit, tumulis recondit, & ab eo mutua sua reposcit, ac iterum dispergit. Anima vero, & suprema istius Corporis Mens, non pulvis, sed pars cælestis naturæ, cujus vitam Corporeus ille orbis vixit, hospitio suo exuta, Macrocosmo olim suo valedicens, in superiorem suam sphæram, cujus incola sit, se penitus recipit. Ex his apparet, quid a Mundo ambiente, & quid a nobis ipsis ducimus, scilicet, quod ille modo nostri Corporis ordines & status communi auxilio sustentet, & facultatem det, ut nos propriis potentiis & naturis perfrui queamus.

(*k*) Quod ex meris Centris consistat, primo intuitu apparere

Membris etiam, per molles & simul duras compedes obligatis, speciem Societatis, induxi, ut nullum se præ alio, nisi ejus & omnium gratiâ, colat; ita etiam iis, ex meo, amorem inspiravi. Suscipite jam hujus Regni lora; stant omnia sub obsequio vestro; mihi modo reservatum sit, Naturam ejus regere: nam me non latet, quod vestræ Voluntatis actus, continuo ad mutationem status naturalis tendant; quandoque etiam, si mentes vestras ardor incendit, ad ipsos ordines turbandos; idcirco jugiter intendam, cumprimis tempore noctis, quando curas vestri in meum gremium rejicitis, ut quicquid a vobis interdiu labefactatum sit, ad vigiliæ vestræ nova conamina, reficiam; ita vestris necessitatibus & commodis, dum ipsæ requiescitis, studiose & naviter invigilatura sum. En, quæ vobis addico, universum hujus Corporis Ambitum, cum suis Musculis, Toris, & Artubus, nam ille a muscularibus fibris circumcirca loricatus est; simul etiam Sensoria Organa, quæ ut præsidia circumposita, excubias agunt. Quæ vero intra hujus ambitus septa sunt, seu interiora omnia, cum suis Visceribus, meo studio mandata esse velim (*l*); novi enim, quod vos, vestræ mentis intui-

sicut paradoxon potest, sed ei solum, qui determinationes essentialium, unde formæ superiores, ignorat: verum quod ita sit, ex singulis lustratis constare potest.

(*l*) Omnes Musculi, qui a Voluntate nostrâ excitantur, in ambitu & truncis Corporis siti sunt, sicut Musculi faciei, pectoris, abdominis, lumborum, brachiorum, *&c.* ex his productæ actiones ideo dicuntur Voluntariæ; nulli vero Musculi intra hunc ambitum Voluntati subjecti sunt; verum Animæ, quæ naturam omnium viscerum regit, sicut in Thorace, ipsum

tione, percenseatis ea, quæ extra sunt, & universum, quod nos circumambit, ac innumerabiles varietates Cæli & Telluris Paradisi; interea ut omnia intus rite obeantur, vestris conatibus favendo, meâ mente prospiciam. Vestro arbitratui, cum veniâ, surripui etiam inferiorem illum Ludum, quem Veneris exercitiorum palæstram, appellant, ne forte a nymphis vestris excitatæ (tunc in Vernas, quæ in Ideas transformatæ circumstabant, lumina sua conjecit) per nimiam istius amoris indulgentiam, vitæ vestri Corporis fomenta exstinguatis, & Regni nostri vires exhauriatis: verum, sicut Vos observantiâ mihi favetis, velim vestra vota, & vestratum lubentias, his blanditiis, etiam condire. Dimidium etiam vobis in Pulmones clavum concedo, ut in naturæ nostri Corporis regimine aliquid habenæ & juris habeatis; nam ad Pulmones, ut ad commune forum, omnem sanguinem, ultimam a me sortitum vitam, condixi: sunt etiam illi, qui omnes operas nostras organicas, in sua officia, excitant. Præterea amplificum pro Vobis exstruxi Palatium; idque, ad ideam Cælestis Curiæ, in Hæmisphæria divisi; & omnes ejus magnos & minores Circulos polis alligavi; ac insuper osseis circumsepivi mœniis; ibi est vestrum Solium ac Tribunal; hoc *Cerebrum* dicitur. Ego vero, ne vos districtas interpellem, parvam quandam Curiam, cum suis cellulis, ubi arcana Regni reconduntur, sub vestris pedibus & limbis, a magnificâ vestrâ dis-

Cor, in Abdomine Hepar, Pancreas, Lienem, Ventriculum, Intestina, Renes, Vesicam: præterea etiam Organa generationi dicata in utroque Sexu.

cretam, non ut solium, sed ut subsellium, mihimet selegi, hoc ideo vocavi *Cerebellum.* Ita videte, meæ Filiæ, quantâ vos ambivi sollicitâ curâ. Sed tempus erat, ut a se mutuo recederent, & Intelligentiæ sibi traditas capesserent habenas; Sol etiam supremo limbo erat in suo ortu, ac Sensationes expergisci cœperunt.

51. Sapientes hæ Intelligentiæ, a Matris suæ ulnis divulsæ, junctis palmis & citato gradu, in Curiam suam se inferebant; ubi Divinos & superbos apparatus, atque magnificum, usque sub tecti lacunar elevatum, Solium, cum Sceptro & Insignibus Regni, in Sella eburnea, repositis, conspiciebant; quæ avidis & oculis & manibus, inde serenatæ, contrectabant. In medio erat Focus, in quo flamma in plures divisa faces, prorsus ad earum transcensum super limina, alte effulminabat; ipse Focus, adamantinis circulis & torquibus auro obryzo circumfusis, constructus, & per flammeum ignem in aurum adamantinum quasi conflatus, transmicuit; inde innumerabiles, secundum cujusvis oculi positum, eradiabantur colores; quod etiam in unaquâvis apparuit Intelligentiâ, nam similiter ex repercussu coruscabant, & florescebant (*m*). His visis, Divino perstrictæ stupore, num se e Corporis sui telis evolutas, aut supra se raptas esse, nesciebant, hinc non

(*m*) Quid Ignis cum suâ flammâ, quid Focus cum adamante & auro, & quod utrumque per transmicationem illius ignis, in aurum adamantinum quasi conflatum sit, tum quid Colores inde eradiati, cum jubare per repercussum, in quâlibet Intelligentiâ, secundum positum, variato, & plura, infrà explicandum venit.

prius, quam Sacra, ritu ex visis inspirato, peregerint, se ad regiminis sui auspicia accingebant.

52. Primogenitus noster, non jam infans sed adolescentulus, in quietissimo primæ vigiliæ statu, nam mane erat, suavissimum Parentis Animæ sermonem cum filiabus, tanquam intra se susurratum, distincte auscultabat; ipse etiam ab ore ejus, ut singula legeret verba, pependit: & simul, quid Virgines in Curia sui Olympi viderint ac egerint, subintuebatur; quapropter iis ad se venturis, sicut audiebat, obviàm properavit, & in supremo gradu singulas amplexu excipiens, subridenti ore, ita affatus est (*n*): Meæ Intelligentiæ! ne putetis, quod minima

(*n*) Binæ sunt viæ aut methodi docendi discendique, una dicitur, Synthetica, altera Analytica; illa seu Synthetica inchoat, seu ingreditur res intueri ab intimis, & evadit ordine ad extima; seu ab ipsis finibus, aut a causarum principiis, ad effectus, demum ad ultimos; quod idem est, secundum modum loquendi receptum, a priori ad posteriora, seu a ratione, per philosophiam Mentis, ad ea, quæ per experientiam sensuum confirmantur. Altera vero, seu Analytica, est inversa prioris, nam auspicatur ab extimis, seque retrò vel intrò ducit, ad interiora, scilicet ab effectibus, secundum ordinem nobis naturalem, ad causas, & sic denique ad principia, ipsosque fines, quod dicitur a posteriori ad priora, seu ab experientia sensuum, per philosophiam mentis, usque ad causarum primas & rationes. Per viam Syntheticam, seu a finibus, & sic a principiis ad causas & effectus, procedunt omnes Mentes Spirituales, nam in ipsis primis & supremis sunt, & quasi sub se intuentur illa, quæ suo ordine ad ultima sequuntur: secundum eundem ordinem procedit etiam omnis formatio, sicut plantarum a suo semine; nam hoc se a principiis suis expedit & explicat usque ad extremum effectum, & ab hoc postea se ad sua priora, seu semina, recipit; secundum eundem etiam

vocula de sermone, quem Parens nostra ex piissimo suo ore in pectora vestra infudit, præter meas aures lapsa sit, & quod non introitum vestrum in Curiam, ipsum etiam sacrum Focum, & vestra libamina, oculis meis emissitiis, conspexerim; nihil enim me de vestris cogitatis fugit, nam estis in meo Olympo; quem mea & vestra Mater vobis addixit, & Vos consecravisti; sit ratum, ejus jussa & decreta, etiam ego, ut sacra, veneror & confirmo; in eo sint vestræ sedes, sociemus etiam cubilia, nam Vobiscum vitam meam vivere, in animum induxi; mihi nihil dulcius erit, quam scita & rationes meæ vitæ ex Mentibus vestris ducere; primam enim a Matre meâ, alteram a vobis traho; illius est, quod vivam & respirem, vestri autem quod sapiam & cum ratione agam; proinde vobis acceptum fero, quod Homo sim, nam

Anima Corpus suum struit: proinde secundum eundem Mentem hanc Rationalem seu Intellectualem, jam in Primogenito suo, formavit ac informavit; simili ordine Mundus a Divinâ aut Supremâ Mente conditus est. Exinde apparet, quod Mens intellectualis Adami, dum omnia a primis suis auspiciis ad posteriora excitabantur, per viam Syntheticam, ab Anima primum, ac dein a Sensibus suis, instructa fuerit; quapropter jam ille dicitur Intellectui suo, seu Intelligentiis ad eum venturis, obviam ivisse. Aliter in Posteritate ejus, in qua Mentes rationales, quæ prorsus nullæ sunt in Infantiâ, primum a Sensibus quasi exstruendæ seu aperiendæ sunt, antequam instruuntur; nam per ætates, beneficio Experientiæ, quæ est Sensuum, & postea Scientiarum, quæ ab experientiâ sensuum conceptæ & exclusæ sunt, perficiuntur; ac per similes gradus Anima cum suo lumine spirituali eis obviam fit, ac infundit potentiam, ut cogitare, judicare, eligere, & velle queamus, quod, ut supra dictum, est manifestum imperfectionis nostri status signum.

id solum Humanum est, quod a Mentis vestræ intellectu & voluntate fluit. Præterea nihil quicquam mihi ut meum asserere & arrogare ausim, nisi quod a vestro in meum sinum delabitur; nam quod a vobis possessum mihi possidendum traditis, id solum ut proprium teneo, & mihi vendico; meum enim est, quia id non solum percipio, sed etiam sentio, nam eo afficior: & quia meum est, mihi jure tribuitur, quicquid a mentis vestræ visu & conatu fluit: verum non sum meus, nisi sim vester; cætera in nobis, quæ non possidere videmur, pertinent ad Matrem nostram communem, quæ durâ, sed jam aureâ, necessitatis catenâ, devincta, naturam Regni, nobis inserviendi studio, regit; sed etiam ipsa suas amænitates nobiscum communicat, nam quicquid ei delitiosum & gratum obvenit, in vos reflectit, & facit ut fruamur ejus delitiis, quibus nostras Mentes & Voluntates, antequam in naturam suam eas dispergit, imbuit & delinit; sic etiam illa nos per sensum exquisitæ amænitatis ipsas Bonitates docet cognoscere. Utque meus sim, a libertate illâ traho, quâ per vos fruor; nam intuitus meos, beneficio vestrarum Mentium, tam sublime, ut usque in Palatia Cæli evehere, & in Divorum consortia inferre, possum: memini tanquam ex alto somno, quomodo, per Paradisiacum Ludum, a Cælestium choro, usque in Sanctuarium sublatus fuerim, &, sicut pignus unionis, Supremo nostro oblatus: vicissim etiam, per vestras Mentes mihi licet in medias Telluris & Paradisi jucunditates animo delabi, & sic, quocunque lubet, sursum sive deorsum, prospicere, & quos-

cunque eligere & amplecti amores. Sed, meæ Contubernales! animum attente ad dicta nostræ Matris adverti, quod modo unicus sit Amor, qui est omnium principium & finis, sunt enim numero infiniti, his modo fruamur, sed ita, ut nos ad unicum illum ducant, nam a seipsis, quantum vidi, eò collimant; quare dum in illis visum, in Hoc mentes detineamus; ex Illo enim est, quod nostri simus, ut felicitatibus ex Amore ejus fluentibus, ut nostris, perfruamur; utque Ille, quasi Seipsum, quia suam Gratiam, in nobis per mutuum amorem videat. Ergo quia inter Nos, tot & tanta fœdera, intercedunt, indissolubili uniamur vinculo; quare Vos, tametsi plures estis, non amplius ut plures, sed ut unam, colam & complectar, & Vos Mentem, Vos Intellectum, & Vos Voluntatem meam appellabo (*o*). Novas etiam Intelligentias & Sapientias in Aulam vestram introducam, sic novis consortiis vestra oblectamina expleturus. His dictis, una ex choro, quæ proxima sacro Foco stetit, Insignia, Regni & Sceptrum, e sellâ eburneâ, sustulit, & Adolescentulo, decente inflexu, porrexit; ad Solium etiam dextrâ suâ eum deduxit, dum aliæ ejus pallium & purpuram manibus sublatam circumaptarent; & sic eum ut principem & Regem suum veneratæ sunt.

(*o*) Hæc omnia, & præterea illa, quæ in hoc Capite sequuntur, propria sunt Generi Humano, nam propria fiunt, quia ex Mente rationali, & ejus libertate bonitates, proinde amores, eligendi, procedunt. Id Animalibus brutis non concessum est, quia carent Intellectu, quo Bonum & Optimum, seu Bonitatum, tam Naturalium, quam Moralium & Spiritualium, gradus & differentias intueantur.

53. Subacutus noster & perspicax Adolescens, gaudio exultabat, non ideo, quod coronâ & sceptro ornatus, sed quod in Sapientum & Intelligentium comitiis primus esset, & ab iis Rex veneratus; quare illas non imperio, sed prece, ut sibi a consiliis, sine optatâ missione, adessent, poscebat: primum itaque eas in Paradisi sui Ludum, quem Sapientiæ vocabat, ori admotâ & mox submissâ manu, invitabat; earum itaque comitatu stipatus, cum per gradus e Curiâ ad limina descenderit, in medium Lucum sub tegmen frondosæ Arboris, non procul a suâ maternâ, incessit; ubi Circus, in Amphitheatri formam, cum nativis porticibus, apparatissimus toris, & quasi subselliis, exstructus, conspiciebatur: hic suis puellis, ita illas vocitabat, pulcherrimo ordine, secundum cujusvis indolem & naturæ dotem, ita dispositis, ut omnes, simul, & singulas successive, aspectu contingere posset, ex editiore quadam sede, iterum ita ingressus est loqui (*p*); Videte, meæ Sodales! quot

(*p*) Quod cum suis Intelligentiis loquutus sit, intelligendum est, quod secum, aut cum suo Intellectu, id est, quod cogitaverit; nam Cogitatio est quædam species loquelæ cum seipso; cum enim operationes nostræ Mentis sint reales activitates, seu Mutationes status per variationes formæ, sequitur, quod etiam speciem interioris loquelæ constituant; nam ipsa Loquela nostra similiter per variationes formæ suæ laryngis, glottidis, palati, linguæ, & oris, peragitur; & loco aeris, unde ex his sonus, in illis est purissimus, qui æther dicitur, & in omnibus suis naturis cum Aere, sed perfectius, convenit; sic, ut nulla alia intercedat differentia, quam secundum perfectionem substantiarum & principiorum agentium; nisi hoc esset, & simul instar visus, nequaquam potuissemus percipere, quæ cogitamus, minus nobiscum loqui, &

circum Vos, & circum me vestrum, rident venustatum amænitates: & quot ex verticibus nostrarum arborum suavitates modulaminum personant; & quot delitiæ ac lepores sensus meos apertis lenociniis captare student; sed velim, ut persuasæ sitis, ad-

eadem in sonos articulatos seu voces, prorsus ad cogitationis ideas, emittere, & transcribere; a solo conatu nulla oritur actio, sicut a quiete nulla motio. Cum itaque Cogitatio realis loquela sit, sed laryngeâ nostrâ perfectior, & simul & successive plura volvat & involvat, sequitur quod illa Mentibus Cælestibus, quæ Angeli dicuntur, tam bene, imo infinite perfectius, audita & intellecta sit, quam loquela oris a nostris sociis & confabulatoribus. Nolimus itaque, quæso! inanibus argutiis, aut potius meris umbris, intuitiones nostris rationales immergere, & in Civitate Literatâ, jam ad hoc suum culmen evectâ, laterunculis ludere, sciscitando, num Mentes nostræ & Animæ Materiales sunt, seu num extensæ, ut impleant spatia, & num earum activitates per tempora seu temporum celeritates metiendæ, & similia; nam Materia est solum vox, cujus Attributa & Prædicata prorsus ad omnem sensum & captum definienda sunt, antequam demonstrari potest, secundum quem intellectum formæ istæ & earum activitates percipiendæ: satis est, quod Substantiæ sint, & actualiter existant & subsistant, quodque activitates illarum reales activitates sint, nam illæ solæ, sunt, & agunt, in nostro Corpore; ideo in spatio & in tempore sunt, quando in suo Corpore & in Mundo, nam ad nostrum, non ad alîus, Corpus, pertinent, & ei insunt, ac intuitiones suas, sicut Oculis visum in mundum, etiam in Cælum emittunt; at vero extra suum Corpus, post separationem, sicut se recipiunt supra aut penitus intra naturam, ita iis perit idea spatii & temporis: sed ut Status earum intelligatur, intelligendi sunt status Formarum activarum superiorum, cumprimis Cælestium & Spiritualium, quæ Corporum naturalium proprietates & adjuncta exuunt, & perpetuitates ac infinitates perplures, sicut supra indicatum est, induunt. Verum umbrosas illas argutias, quia non reales,

hibite mihi fidem, quod formæ illæ non meos sensus, sed meam mentem, allectent; video etiam & lego in vestris oculis, quod lætitiæ ex iis exhalatæ, non in vestris Sensibus sed in Mentibus, demorentur; non enim lusorias & caducas illarum pulchritudines lustro, sed argutius & penitius intuendo, id solum, quod in medullis earum reconditur, perspicio, scilicet, quid Bonum, & quid Utile, in se ferunt; non folia sed frutices, & horum semina, inspicio; nec mihi testæ, sed nuclei sapiunt: illarum enim Bonitates ac Utilitates, me præ decoratissimis formis oblectant; nam dum visum meum oculis surripio, & ex duorum luminum radiis ea perlustro, a quadam intima harmonia, ex ipsis earum harmoniis quasi emicante, afficior: credo, quod Vos, meæ Sapientiæ! id mihi insinuatis; est quidam intimus quasi sensus dulcedinis, qui menti meæ adblanditur, & se inde per animum, & in pectus dispergit; idque cum varietate, prorsus secundum cujusvis bonitatis naturam & præstantiam: hoc ex intimo meo sensu influit in intellectum, seque in voluntatem cito effundit; & illum tanquam lætissimo fulmine illustrat, hanc quodam amoris fomite incendit: & sic bonitates jucunditati adnatæ, quodam sensu & consensu mihi revelantur (*q*). Ex bonitate deinceps,

sed pure verbales, ex ignorantiâ formarum, & earum elevationis, unice fluentes, missas faciamus, dum persuasum sit, quod præ omni substantiâ materiali, de quâ infra, existant & subsistant, ac simul vivant; sintque unicæ, quæ dant nobis percipere, & secundum perceptiones sentire, & affici, & sic frui amænitatibus, quæ ex perceptâ bonitate fluunt.

(*q*) Quod Primogenitus noster Bonum seu Bonitates ex

sicut ex intimâ metâ, aut Centro, omnia cætera contemplor; nam quasi per transennas perspicio, quod nihil non ad Bonitates se referat; hoc meus Intellectus, Veritates, & quæ ad has iterum tendunt, Scientias & Experientias, appellat. Sed hæc omnia

qui pulverem & limum illum reciperet, foret Aer; ipsa etiam Tellus & ejus orbita, nesciret suum centrum, & suas peripherias: Hujus fati specimina temporibus suæ noctis & hyemis in animos nostros revocat; noctu enim omnia in umbram, & hyeme in frigus ejus cadunt: sed redeamus; hæc omnia demonstrant, quod nihil in hoc mundo, non a Sole, ut a Parente, trahat suam naturam: si Parens sit, sequitur, quod foetus ejus, aut producta, eum aliquo typo referant: ipsi ejus radii, quibus stringimur, sunt totidem & continui quasi soles (*b*); si eos con-

(*b*) Quod radii sint totidem imagines solis, non modo ab effectu, sed etiam a cæteris Phænomenis, quæ quoque in visum nostrum incidunt, liquet; omnium enim objectorum imagines cum suis formis, per radios ejus luminis in visum nostrum illabuntur, seu ei continuantur, proinde etiam ipse Sol, ex quo, ut ex suo fonte, radii isti scaturiunt: sed noli credere, quod non radii sint reales continuationes, seu essentiales determinationes: quod per inane seu vacuum nihil continuari queat, ipse sensus communis dictat: sed sunt exiguissimæ aut purissimæ formæ, quæ activitates seu vires Solis activas discretim recipiunt, & usque ad ultimos Universi terminos deferunt. Hæ formulæ seu substantiæ, simul sumtæ, constituunt Auram illam, quæ dicitur Æther; & ex elasticitatis suæ perfectissimâ virtute id trahunt, quod cum vicinis aut contiguis communicent quamcunque vim recipiunt, adeo ut nihil acceptum perdant; ea enim est puræ elasticitatis natura. Hæ potentiæ, quia ab ipsius Solis substantiis, quæ quod ex magno ejus Oceano exhalatæ fuerint, supra indicatum est, exortæ, non possunt non prorsus ad ejus activitatis modos aut rationes, agere dum aguntur; quare sunt veluti minima specula, & velut receptacula, ejus virium, cum actuantur; & sic eum in se, dum in suis formis, non modo recipiunt, sed etiam, propemodum absque ideâ spatii & temporis, ad oculos nostros deferunt. Nisi enim actuales substantiæ forent, non

centras, eum ipsum, & simul ejus ignem, in parvulâ imagine, & videbis & senties; quare ille est præsens, ubi suus radius; sumus itaque sub auspicio ejus, dum sumus in ejus radiis. Ab his existunt, quæcunque exorta conspicimus; nam si ab illo, utique ab illis, oriunda sunt, per quæ se præsentem nobis exhibet. Sed quid Radiis ejus inest? nonne Lumen, & simul Calor; hæc inter se distincta sunt, nam cum uno adesse potest, nec similiter cum altero; Lumen ejus tam serenum & clarum, mediâ hyeme, quam mediâ æstate, apparet, sed Calor tunc in radiorum ejus sinu non adest; usque tamen est nobiscum, ac similiter Visum nostrum illuminat; sed quia Calor non inest, Telluris Vegetata torpescunt, ac obeunt suos dies; ut primum vero cum suo igne resurgit, sicut tempore Veris & Æstatis, omnia renovata in suum florem redeunt, ac priores suos dies recolligunt; semina trahunt radices, radices protrudunt surculos, hi excludunt ramos & frondes, & demum nova gignunt semina, continuantque in se ipsam ejus Creationis telam, & sic suis gyrulis ipsum ejus magnum effigiant: nam similiter oriuntur

potuissent Objecta continuari Visui; nec Visus Organum, seu Oculus, formatus existere, ad ejus, sicut Auris ad Aeris, modificationis naturam; minus ille, seu radius, per lentes opticas concentrari ac divaricari; imo nec reflecti ad angulos incidentiæ, & refringi ad regulas; minus incalescere ea, quæ ab eo stringuntur; imo ipse Radius, Olfactus organum, ita per tactum suum convellit, ut id in speciem convulsionis seu sternutationis excitet; verbo, nisi Radius, realis continuatio Solis per formas foret, nihil quicquam existeret, quod tamen ab iis existere, ipso sensu, percipitur.

& occidunt, & similiter circumscribunt suæ vitæ curriculos, atque putant sua tempora & spatia; perque suas Ætates se quasi in ejus Æstatem & Hyemem, aut, si velis, in ejus diem ac umbram, transcribunt; verbo omnia sunt velut parvæ effigies ejus magnæ. Sed hæc, sicut dictum est, non sunt ejus Luminis, nisi simul ejus Caloris, effectus.

63. Sed jam obvolvamus Visum nostri Oculi quodam quasi peplo, & hunc Paradisum cum suis formositatibus, in splendore hujus luminis, tamdiu relinquamus, dum alterum seu Cælestem, puriore visu, sic alio lumine, lustremus: bina illa Lumina etiam se a mutuo conspectu sponte removent & abscondunt, ac unum alterum quasi in umbrâ ponit: nonne ipse expertus es, dum ab uno in alterum transcendis, quod ipse Oculus, tanquam id consciret, se visu suo orbet, aut quod Mens ab intuitione ejus Objectorum se abstrahat & surripiat, sic ut ipsum illud Magni solis lumen involvatur quasi tenebris: Vicissim etiam hoc lumen, dum ad Oculum & ejus visus objecta descendis, Lumen cæleste & ejus objecta obscurat, nec illud in nativam suam recidit opacitatem, priusquam apertâ quasi januâ, fulgur illud Cæli interiorem tui Visus cameram perstringit. Hoc indicat & clare demonstrat, quod bina sint Lumina, prorsus inter se distincta, & suis naturis diversa; quodque unum non facile intret alterius cubile. Declarat etiam, quod Cælum nihil mutuo accipiat a lumine Solis, ut sibi luceat, sed modo a suomet Sole, unde omne suum haurit. Si Lumina, etiam Effecta, distincta erunt, nam effectus unam

rem cum suis causis faciunt, & conjuncte sua contexunt. Cæleste non dat, ut videas formas, quales oculus transmittit, sed quales earum usus & bonitates sunt; nam hæ sunt fines, propter quos illæ formæ, non in Tellure, sed in Cælo, designati. Radii illius Luminis sunt similiter continui & discreti Soles (*c*), aut continuati rivi sui fontis; & quia eo intelligentiores & sapientiores reddimur, quo plus ab eo nos patimur illustrari, inde sequitur, quod Lumen illud non nisi quam a Sole ipsius Intelligentiæ & Sapientiæ, seu a Supremo nostro, scaturiat: tum quod omnia, quæ inde suas Origine trahunt, similiter ac quæ a Lumine Solari, typum & imaginem ejus referant, Eumque ut suum Parentem colant. A radiis solaribus etiam instruimur, quid hujus Solis radiis quoque inest, scilicet, quod & Lumen & Calor, sed Lumen Spirituale, unde Visus intellectualis, seu Intellectus Veri, & Calor spiritualis, seu Amor, unde sensatio Boni. Insuper etiam discimus, quod unum similiter alteri, scilicet Lumen Calori, & Calor Lumini, diversimode, ac

(*c*) Quod Radii illi sint Essentiæ reales a suo Fonte, seu ab ipso Supremo, nostro Numine; sicut etiam radii ab Anima in nostro Corpore, qui sunt fibræ reales, & determinationes totius essentiales, ab omnibus, tam phænomenis, quam effectibus, evidenter conspicitur; nisi illi forent reales, & ipsæ rerum essentiæ, sane nihil in Universo reale foret; nam inde omnia existunt, & subsistunt; quod vivamus, quod percipere & sentire queamus, id solum inde trahit suam essentiam. Sed hæc tam clara sunt iis, qui ea in hâc luce spectant, ut vanum ducant, argumentorum umbris a naturæ lumine mutuatis, ea confirmare.

dispari gradu, inesse ac implicari possit; intelligimus enim verum, & ex hoc perspicimus bonum, sed id sentire, aut eo affici, id non est Luminis, sed est Amoris; absque hujus præsentiâ, est Lumen illud, sicut lumen solis, in suâ hyeme, & cadit in suam umbram; illico vero, ut ab Amore incalescit, transcribitur id quasi in suum Ver, ac transit in suum Diem: prorsus similis ratio est unius & alterius. Mens nostra est illud Solum, aut illa Humus, in quam radii illi cum suo Lumine & Amore influunt; Semina sunt Bonitates, quas sensu jucunde percipimus; Radices sunt primi illarum effectus, & dicuntur Veritatum ac cæterarum Bonitatum principia; nam omnia ex iis, sicut a radicibus, secundarium suum ortum trahunt; inde enim exsurgunt nostræ Veritates, sicut germina, quæ protrudunt ramos, frondes, folia, atque in speciem Arboris efflorescunt; inde novi fructus aut semina seu bonitates, ex Intellectus istius Veritatibus egerminantes; inde iterum novæ radices, novæ efflorescentiæ, & novæ sementes; quæ, quia fæcundæ, secundum cultum illius humi, non arborem, sed amplificam sylvam, imo speciem cujusdam Paradisi, excitant & condunt: hæc, non sunt Luminis, sed simul Caloris, id est, Amoris, sicut dictum est, effectus. Ex his jam elucet, qualis alter & alter Paradisus est: Unaquævis Bonitas, quam percipis, Menti tuæ inseminata, est quidam Amor, nam id amas, quod sentis esse bonum; nec quicquam intrat sphæram tuæ Mentis, nisi per sensum (*d*); & quia unaquævis

(*d*) Nihil intrat sphæram nostræ Mentis nisi per speciem

Veritas in se fert imaginem Optimi, ita unaquævis Bonitas imaginem Amoris illius Optimi; nam radius, qui est continua Solis imago, ex sinu ejus illum exportat. Ex his Amoribus, totidem quasi seminibus, Mens tua concepta & nata est; nihil enim in eâ effloruit, nisi quod inde traxit suam radicem: ex quibus fluit, quod ipse effigiem Ejus in te portes, seu quod sis imago ipsius Supremi per Amorem (*e*).

64. Verum, tametsi hæc bina Lumina ac Luminaria, & horum bini Calores, inter se tam distincta & disparia sint, ut se mutuo quasi fugiant fugentque; usque tamen non dissident, sed conveniunt, ac se amice uniunt; nam unum est alterius gratiâ: Verum

sensationis; quæque primum subeunt, Mentis nostræ organicas formas, quæ formarum reliquarum, sicut etiam ipsarum fibrarum, principia sunt, in facultatem agendi, excitant & inaugurant, & sic eis quasi proprias agendi vires indunt; sed exinde reddimur modo Potentiæ activæ, quæ in ipsum suum actum, in quem inauguratæ sunt, per vires, quæ extrinsecus influunt, deinceps excitantur: Vires illæ vel influunt per fores sensuum, vel ex reservatorio imaginum seu idearum, id est, ex memoriâ; sive ab illis, sive ab hac, usque tamen extrinsecus, nam propria memoriæ activitas est imaginatio, non autem cogitatio. Exinde apparet, quod Mentes nostræ efformentur ac informentur, unice ab iis, quæ cadunt in quendam sensum; idque in Primogenito per viam priorem seu superiorem; in Nobis autem per viam posteriorem seu inferiorem; inde discrimen, quod nos per sensum bonitatum terrestrium ad sensum bonitatum cælestium, & id quidem lente ac sero, ascendamus; Ille autem per sensum Bonitatum Cælestium, ad sensum bonitatum terrestrium, per gradus, descenderit.

(*e*) Sicut noster Primogenitus, ex Bonitatibus, & inde oriundis Veritatibus, suum Amorem, ita unusquisque, suum, ex suis, contemplari potest: de qua re infrà.

Unionis seu Connubii fædera lustranda sunt; exinde, sicut in luce, apparebunt rationes dissidentiæ; quæ ut pateant, in memoriam revocare velim, quomodo Anima, Mater nostra, Mentem tuam ex primo suo stamine concepit & formavit; id enim oculis meis conspexi, ac id adhuc velut præsens video, nam inhæret mihi, quasi infixum: Illa tunc primum ex adyto suo, ad *Oculum*, jam tuum, se demisit, imagines seu formosas Paradisi species, totidem luminis istius repercussi effectus, excipiendi & recipiendi gratiâ; memini, quia prima natu Sapientiarum sum, quod Imagines istæ, illico, ut limina istius postis contingerent, ipsæ miratæ sint, quod se in species idearum, ex solo attactu & afflatu Matris nostræ, conversas viderint, sentientes, quod illa aliquid vitæ, ex suamet, infuderit: Mox reformatas illas imagines seu Ideas, usque in atrium tui Heliconis, quod *Memoria* dicitur, transtulit: postmodum vero eas in Sacrarium nostrum, seu Olympum evocatas, osculo novo & amplexu, excepit; & reminiscor, nam a risu vix me admoderari potui, quod ipsæmet illæ Ideæ, dum seipsas & socias mutuo intuerentur, se iterum nec possent dignoscere, nam se transformatas in superioris naturæ Ideas, rationales ac intellectuales, dictas, percipiebant: ex his denique, societate, in unum quasi Corpus, junctis, novæ exstiterunt formæ, Veritates nuncupatæ, ex quibus, ut Parentibus, genuit Intelligentias, quæ cum adolescerent, Sapientiæ factæ, & mihimet, ut sorores, adjunctæ sunt: ex his Mens tua, quæ Intellectualis dicitur, & quæ sapit, efformata est. Inde potui con-

cludere, quomodo bina illa Lumina, & bini illi luminum Calores, consociati, & quasi connupti fuerint, & quomodo unum ad alterius conditiones & pactiones prorsus accesserit, nam video, quod ambo jam unum idemque studeant (*f*): scilicet

(*f*) Apparet, liquido, tanquam coram ipso Visu, quod Imagines, quæ per Oculum insinuantur, sursum ad Sensorium quoddam, in editiori loco, seu in Cerebro, positum, emergant, & in Intellectus sphæram se insinuent. Apparet etiam, quod sensus verborum in loquelis, se in similes species seu imagines, immutent, & sic reformati se in eandem sphæram inferant; unaquævis enim vox aliquam ideam vel partem ideæ involvit. Similiter comparet, quod Imagines istæ, sive natæ sive factæ, visualium æmulæ, in quâdam Memoriâ se recondant; & dum ex illâ in mentem evocantur, sub specie idearum prodeant, sed quæ, a primis suis cunabulis, dum adhuc quasi infantes aut immaturæ sunt, Materiales, quia visualium similes, audiunt. Tandem sublimiores factæ induunt quasi speciem aut formam spiritualem, nam limites seu termini, quibus prius circumscriptæ fuerunt, veluti detondentur, & ipsam suam mentem, utcunque limatam, fugere incipiunt, tunc intellectuales & Immateriales dicuntur; nam universaliores sunt, quam ut sub unum intuitionis complexum cadant. Hâc ratione nostræ Ideæ propius & propius ad naturam seu essentiam spiritualem accedunt, seque ejus regimini subjiciunt: quod his ideis, imperceptibili modo, associentur ideæ, quæ pure Spirituales sunt, & modo fines inspiciunt, id clarum est, dum interiora harum idearum penitius intuemur; nam in Mente non amplius ut Ideæ, sed ut Fines in istis ideis, versantur; ita Spirituale cum Naturali conjugium init, aut unum sibi alterum consors jungit. Sed quæritur, unde hoc Spirituale in hunc Mentis thalamum, influit; perclarum est, quod non per fores Visus, seu viam imaginum, nam hæ sunt modo luminis solaris species, quæ in se nihil Luminis Spiritualis continent, sed quod hæ a suo lumine illustratæ & excitatæ sursum eleventur, ut Lumini Spirituali occurrant & conjungantur; id etiam

quod Mater nostra, Imaginibus, ex Solis lumine & umbra productis, ac postmodum in Ideas versis, vitam, ex suâmet, quam ex cælo haurit, sicut dixi,

perspicuum est, quod hoc Spirituale non in Memoriâ concipiatur, & ab eâ excludatur, nam nisi dum prius in Intellectuales a Mente transformatæ fuerint, in Memoriæ reconditorium, non remittuntur : perliquidum etiam est, quod ipsa nostra Mens, non ex se Spiritualis nata sit, nam tempore suæ infantiæ nulla est, sed cum annis & ætate crescit & adolescit ; exhinc jam sequitur, quod origo ejus non in his semitis aut vicis inquirenda sit, sed quod intra aut supra hanc Mentem, quæ Rationalis aut Intellectualis dicitur, enitendum sit, & ibi perquirendum, ubinam & undenam Spirituale illud cum suis finibus descendit ; quum itaque paululum supra hanc sphæram, quæ nostra Intelligibilis est, enitimur, se nobis offert prima aut suprema Corporis substantia, quæ Anima dicitur, quæ non solum est Anima Corporis, sed etiam Anima ipsius hujus Mentis, ad quam, ut dictum est, Ideæ nostræ ascendunt : hujus substantiæ essentia & forma est spiritualis, quæ in universo suo Corpore unice vivit, & per quam, nihil non, quod Corporis est, vitam suam, quodlibet secundum suam formam, agit : qua ratione illa dici potest forma formarum sui Corporis : Cum itaque hæc substantia, cujus essentia est spiritualis, seu Anima, in supremis ac intimis sui Regni residet, sequitur, quod per hanc, tanquam ab hâc, influat Spirituale illud, quod Naturali, per viam sensuum, illabenti, occurrit, ac idem Corporis quasi hospitio excipit, & ei oscula jungit ; ipsum hoc hospitium seu diversorium est ipsius intellectus. Ex his jam apparet, quomodo bina illa Lumina, Naturale scilicet & Spirituale, per diversas vias influunt, & post sacram copulam, tam illustres concipiunt proles, quæ totidem sunt intuitiones finium, suis causis mediantibus adsociatæ. Sed scio, quod sicut caligo, Mentibus nostris obversari, proinde scrupulum injicere queat, quomodo soli Luminum radii effectus tam reales possint producere, cum radiationes istæ ab objectis non sint nisi modificationes interfluæ auræ ; verum hic scrupulus facile evanescit, quando

infuderit; & postmodum eas, per appositiones mutuas, seu per epigenesin, specie Corporis induerit, ac naturâ quâdam donaverit; sic eas in Intelligentias

nobis formæ illæ, in quas influunt, innotuerint; scilicet quod sint reales formæ organicæ; nam per reales fibras, sicut notum est, ab oculo & cæteris sensoriis, surrepunt; quæ formæ, organicarum primæ aut principia, per modificationes istas docentur, & postmodum excitantur, ad mutandos suos status, seu variandas suas formas, unde reales substantiarum activitates exsurgunt; vix aliter ac modificatio Aeris in Aurem illapsa, & cæteræ in sua Sensoria: ipsæ Aurarum modificationes sunt reales vires activæ, quæ formas organicas suis activitatibus convenientes excitant: sicut in extimis etiam in intimis, cum sola differentia perfectionum.——Sed quid Vita! annon vivere est intueri fines; hoc quia Intelligentis est, sequitur, quod Vita Intelligentiæ sit finium intuitio & repræsentatio; hoc non potest facultas esse Entis naturalis, sed Spiritualis; quare Spiritualia sunt viva, & Fons Spiritualium est omnium viventium & vitarum Vita. Ut vero hi fines promoveantur in effectus, & existant usus, opus est causis instrumenti vicem gerentibus, quæ in se non vivant, seu ex se non intueantur finem, verum nude morem gerant, & vitæ ac intelligentiæ famulentur, proinde naturâ suâ mortuæ: id luculente in ipsis nostris actionibus, quibus utrumque inest, apparet; ipsa enim actio absque suâ vitâ, est nude motus musculorum, qualis machinæ, sed ex fine seu vitâ audit actio, eo sublimior, quo plus vitæ, aut plus sapientiæ, eidem inest; quare actio non respicitur ex suo motu, aut suâ figurâ & vultu, sed ab intentione & voluntate, id est, a fine, e quo actio emanat. Ex his cluit, quod Naturalia facta sint, ut inserviant Spiritualibus pro causa instrumentali aut organicâ. Similiter, quod totum illud Universum, quod Soli Mundi subjectum est, creatum sit a Supremo Vitæ Fonte, ut pro medio inserviat perveniendi ad fines ultimos. In ipsâ nostrâ Mente etiam aliquis typus similis creationis repræsentatur, dum illa aliquem finem ultimum cum mediis complectitur; tunc etenim intendit causis, per quas fines suos contemplatos promoveat; quod ut

& Sapientias, transcripsit; idque ab ipsis formis, quas Lumen & Calor Solis, per radios suos, peperit & reflexit; hæc enim quasi mutuo sumsit, ac in fibras & musculos, unde membra & teneri earum artus, transtulit, inde nostra Corpora, in quibus ipsa agit animam; & quia per illam, per Cæleste aut Spirituale Lumen, hujusque Calorem, seu Amorem, vitam nostram vivimus; id potes ipse in me conspicari; tuere, si placet, meum sinum, mea pectora, meum vultum, atque meos, quibus te etiam respicio, ocellos; nonne vides, quam consentaneum, aut quam singularis consensio sit omnium, quæ a natura mundi, & a Vitâ Cæli trahimus; hic non unum Lumen extenuat aut inumbrat alterum, nec unus calor hebetat & exstinguit, alterum, sed unum prorsus cum altero, sicut etiam in toto tuo Corpore, facit; Vita & natura in Nobis ita concordat, ut vivamus tanquam unum & idem: ex hâc unione, nostræ facies, quia Heliconiades sumus, apparent, sicut credo, ut Venustates, nostrique actus ut Jucunditates, dixeras id mihi quondam in aurem: sed Mater

fiat, naturam evocat in opem, & per illam tendit ad suam metam: ita sibi primo quendam quasi orbem struit, qui sit complexus causarum & effectuum, qui fines istos vehant & perducant; ex paruis per comparationis viam majora licet comprehendere. Quod etiam Lumina illa distincta sint, etiam a Mentibus nostris liquet, quæ Sole nostri Mundi absente, sicut noctu, inque Cæcis tam natis quam factis, æque intelligentiâ vigent, imo eo puriore & præstantiore, quo minus a lumine Mundi interturbantur: Inter Veteres etiam memorantur Sophi, qui ut spirituali luci vacarent, visum sui oculi, ut ejus lumen exstinguerent, studio occæcavisse dicuntur.

nostra, seu Anima, quia non Corpora, sed Mentes nostras intuetur, Venustates illas appellat Bonitates, & Jucunditates dicit Faustitates, nam nihil vere venustum esse, inquit, quod non est bonum, & nihil vere jucundum, quod non est faustum; utque id credam, appellat etiam ad nostros Parentes, seu Veritates: ulterius etiam confirmat, quod nihil vere bonum & faustum esse queat, quod non ipsum Optimum effigie & actu referat; nos ideo Ejus icones appellat. Ut adhuc clarius appareat, quam conjunctissime unita sit Vita naturæ, aut quomodo hæc denupta sit in thalamos ipsius Cæli (*g*), attende

(*g*) Nihil datur in Universâ Naturâ, quod non formam suam, & sic speciem Corporis, a quâdam Animâ, trahat; nec solum Subjecta Regni Animalis, sed etiam Vegetabilis: horum Animæ sunt Usus, ab ipso Cælo, sicut fines, designati; iis conformiter illa generantur & crescunt; nam, sicut supra observatum est, Effectus sunt modo explicati Usus, & in naturæ gyrum emissi: in nostrâ autem Mente Usus dicuntur Fines, quia a nobis intenduntur, & sic vivunt; quot itaque fines, tot sunt partes intuitionis Animæ, quorum singuli, ut effectu fiant usus, Corporis cujusdam speciem induere debent; nisi enim fines, sicut Animæ, per induitionem Corporis, in naturæ gyrum emittuntur, nequaquam ut Usus sisti & actu repræsentari queunt. Hæc jam ratio est, quod nihil usquam in Naturâ exstet, quod non originem suam, aut animam, typo referat; quæ quia a Cælo est, nam omnes usus, sicut dictum, sunt designati a Cælo fines, ideo non possunt non Naturalia & Cælestia, posito ordine primum inducto seu perfectissimo, inter se convenire; & quidem adeo, ut ab uno conspicari liceat alterum; nam si Naturalia evolvimus, & loco eorum transcribimus Cælestia seu Spiritualia, prodeunt Veritates congruæ; sicut a binis Exemplis supra confirmatum videatur; quibus heic etiam unum adjicietur; sicut, *Sol est Fons omnis Luminis & Caloris in suo Mundo, nec est causa Umbræ &*

ad ipsum Amorem; Ille se manifestum reddit, & actualiter prodit per Calorem, ipsum ejus Desiderium, quod Amoris continuum est, per Ardorem; quare etiam per voces nostræ loquelæ, ipsum Amorem salutamus & significamus per Ignem, ejus Cupiditatem per Fervorem aut Flammam; ipsas Nuptias per Tædas & Faces; sensu etiam Corporeo ipsas ejus Delitias in calore percipimus. Hæc itaque sunt connubialia Vitæ & Naturæ, Cæli & Mundi, id est, utriusque Paradisi, per Amorem, Foedera, quorum Nos Sapientiæ sumus Obsides & Hymenes.

66. Exhinc sicut in luce clarum est, quod Vita Naturam, in jus consortii secum, adsciverit: Verum, evolvendum est, quia complicata sunt, quomodo unum influit in alterum, seu qualis ordo, & quales secundum Ordinem Leges sunt; nam Legum & jurium Conditor, nihil nisi quam ex sapientissimo ordine, agit. Quod unum in alterum influat, ipsa Existentia liquido declarat, ex hac judicium de Subsistentiâ ferendum est; nam sicut exstitimus,

Frigoris; sed Umbra est privatio ejus Luminis, & Frigus est privatio ejus Caloris: Sol nunquam privatur Lumine & Calore, sed Objecta terrestria, quod lumine & calore ejus penetrari nequeant, tum etiam Directiones ejus Radiorum, id efficiunt, inde Tenebræ & Frigora. Hæc, mutatis formulis, ita sensu spirituali sonant: *Deus est Fons omnis Intelligentiæ ac Amoris in suo Cælo, nec est causa Insipientiæ & Inimicitiæ, sed Inspientia est privatio Ejus Intelligentiæ, & Inimicitia est privatio Ejus Amoris: Deus nunquam privatur Intelligentiâ & Amore, verum Mentes Humanæ, quæ a Lumine Ejus Intelligentiæ & Radiis Ejus Amoris regi se non patiuntur, tum Determinationes Ejus Radiorum, id est, Veritatum & Bonitatum, id efficiunt, inde Insipientiæ & Odia.*

ita etiam subsistimus: id tametsi ex omnium genesi, & cumprimis ex nostra, pateat, Veritatis in sua luce ponendæ usque interest, ut telam modo confectam, ex ultimis suis filis, paulum retexam. Anima ipsas Imagines, quæ naturæ & ejus luminis formæ sunt, per Oculi viam subituras, excepit, ac vitâ suâ afflatas in Memoriæ conclavia deduxit, & cuilibet suam sedem decenter tribuit; ac simul vetuit, ne ingratiis aut injussu, in Olympum seu Sacrarium nostrum irruerent; has postmodum secundum cujusvis indolem & naturam evocatas disposuit tam concinne, ut demum ex iis, tanquam ex membris, societatis aut Corporis speciem, conflaverit; inde nos Intelligentiæ ac Sapientiæ, eâ Venustatis formâ, quam vides, natæ: quid itaque ex Naturâ, & quid ex vitâ trahimus, id oculis tuis probe dignoscis. Ipsa nostra Anima, id quidem egisse visa est, nos ideo eam, ut piam genetricem, agnoscimus & veneramur; sed ipsa nihilominus non vivit ex se; est modo potentia, quæ vivit & agit ex alio: ipsa Vita, sicut ejus Anima, ex omnium Viventium aut Vitarum Fonte, in illam influit; & sic per illam, in Nos, ejus prolem: ideo Cælestes sumus origine, ac ideo Sapientiæ dicimur. Illa Vita fuit, quæ usa nostrâ Animâ, luminibus & umbris, seu formis naturæ, obviàm ivit, easdemque in Ideas conversas, per Memoriæ cellulas, in classes ac tribus, secundum genera & species, disposuit: Eadem Vita fuit, quæ postmodum eas in Heliconem tuum evocavit; unde ducimus natales. Talis jam fuit Ordo, & talis influxus Vitæ in naturam; secundum eundem exstitimus, sicut dixi, & secundum

eundem subsistimus, seu vivimus & agimus. Ex his jam perspicitur, quod Natura minime ausa sit in Vitæ nostræ thalamos, nisi jussa ac evocata, se inferre; sed quod Supremus & ejus Amor, secundum intuitiones finium, id est, secundum suum arbitrium, Naturam adoptaverit, formasque, prorsus ad eos, quos intendit, usus, adaptaverit. Hic itaque est Ordo, ex quo omnes nostræ naturæ leges, & decreta, fluunt; & unde nostra fata; hæc omnia ex unico illo Fonte trahunt suas venas. Suprema itaque, seu ordine superiora, influent in inferiora, & hæc in ultima, non autem vicissim; inde inferiora suas trahunt dotes ac perfectiones; seu inde fluunt omnes inferiorum habilitates ac potentiæ (*h*). Quando hic

(*h*) Non facile ex solo lumine nostræ Naturæ, cui Vita non ordinate inest, conspicere possumus, qualis hic Ordo est; nam omnia nobis ita complicata, ac sibi mutuo involuta, apparent, ut unum ab altero discernere, & sic distincte intueri, nequeamus; nam ipsissima Lux vitalis in rationibus Intellectus, seu in ideis nostræ Cogitationis, ac hæ in ideis Imaginationis, hæque iterum in Imaginibus Visus, tam penitus hærent implexa, ut in iis superiora ac inferiora indistincte & obscure intueamur. Sed hujus obscuritatis causa, est unice inversio nostri status, scilicet, quod a posterioribus evolvenda & perspicienda sint priora; & sic denique sapiendum: in posterioribus enim latent priora, sicut in effectibus causæ & principia, proinde penitus sicut in umbrâ: Ut vero unum ab altero prodeat, & distincte intueamur, necessum est a priori, seu ab ipsa luce, sive inspiratâ sive revelatâ; & sic per ordinem istum, de quo in hoc articulo agitur: nam a superiori contemplari licet inferiora, non autem vicissim; proinde Lux intellectualis quasi separanda est a lumine naturæ, cui plus umbræ quam lucis inest; & sic Mens removeri, & quasi excubare ab animo, & a sensuum objectis crassioribus. Sed

ducitur Ordo, tunc nihil tam complicatum & abstrusum est, quod non explicatur & evolvitur, nam est ipsa Lux, quæ videt, & ipsa Vis Viva, quæ agit:

qualis ille ordo sit, & qualis Influxus, secundum eum ordinem, id hauriendum est, a Doctrinis Ordinis & Graduum, tum ab Influxuum, quæ excolendæ sunt. Ut vero adumbretur, qualis sit ille Ordo, & qualis Influxus, sciendum est, quod Priora a Posterioribus, seu Superiora ab Inferioribus, se prorsus distinguant, sicut ipsæ Formæ, quarum una gignit alteram; quæ gignit aut parens est, illa dicitur prior aut superior; quæ vero gignitur, posterior aut inferior; aut si loco formarum dicas Substantias, eòdem res recidit: Supremam Formam diximus Spiritualem; ei proximam, quæ ordine sequitur, Cælestem; exinde Inferiores simili generatione exsurgunt usque ad ultimam, quæ Angularis, proprie Terrestris, Corporea & Materialis, dicitur, hæc similiter in superiores ac inferiores, sicut activæ, dispescitur, de qua re infrà. Talis jam est Ordo Substantiarum; secundum hunc Corporis nostri Organismus institutus est; quare Anima in primis & supremis sui Regni esse dicitur, ubi formæ spiritualis est; ex hac cæteræ, quæ per successivam generationem unius ab alterâ, induunt qualitatem formarum sequentium, quæ ideo etiam Inferiores seu Posteriores nuncupantur. Quo ordine sibi Formæ succedunt, eo etiam qualitatum & facultatum omnium perfectiones; Superiores enim in se & suâ naturâ, infinite perfectiores sunt inferioribus in se & suâ naturâ; quod quisque ex solâ generatione intelligere potest. Sed quæritur jam qualis est Influxus; una Forma per se non in alteram influit, nam prior seu parens agit modo rationem causæ alterius, seu tribuit ei naturam, aut dat potentiam, sic & aliter secundum influxum virium activarum agendi: At omnes Vires activæ, quæ has formas, ut nudas potentias, excitare debent, extrinsecus influunt; sicut in Primam nostram seu Animam, ipsa Vita, quæ est omnium Vis viva; in alteram similiter, sed mediate per Spiritum Divinum; nam totidem sunt Vires activæ, quot in nobis potentiæ, seu Vires passivæ, de quibus, volente Deo, ordine suo agendum est: Hæ Vires sunt, quæ influunt,

per hunc ordinem ipsæ Insipientiæ reformantur in Intelligentias, ac Insaniæ in Sapientias; limus vertitur in clarissimam gemmam, & pulvis in rutilum Aurum; Caligo naturæ innata splendescit sicut in luce: Actus nostri, pietates & virtutes fiunt; & præterea ex voto & sententiâ omnia succedunt. Verum aliter prorsus, si hic ordo invertitur, id est, si naturæ datur licentia in superiores & sacros vitæ toros, absque veniâ, irrumpere: si hoc, omnia tunc sponte se involvunt umbris; vitæ & amoris faces, lumen illud exosæ, fugiunt & quasi evanescunt: Leges enim ipsius ordinis, ac vitæ constituta, rescinduntur; & nihil non ex ictu formam accipit, ac in contentionem, & sic in discrimen, venit. Si libeat, faciamus periculum, sed prudenter agendum est; aperiamus fores atrii, ac patiamur famulas nostras, seu Ideas, in hanc Curiam, ex imaginato sibi Ordine & instinctu, influere; ac videbimus oculis nostris, ex eo inverso, immoderatos illarum impetus, & actus: his dictis, excussæ sunt seræ, ac Ideis copia data est, ex Cubiculis suis, qua vellent, lege, in Olympum irrumpere; quæ illico a laquearibus suis direptis lychnis, ac impexis, sicut erant, comis, in ipsam

quarum influxionis ordo esse debet prorsus secundum ordinem nostrarum facultatum, scilicet a Supremis ad inferiora, non autem vicissim. At vero Animæ influxum in mentem rationalem, ex simili, seu ex Mentis istius influxu in Musculos aliquatenus concipere possumus, nam Musculi sunt formæ ad ideam suæ mentis, sicut hæc ad suæ Animæ, excitatæ. Hæc summa rerum est, sed ejus partes singillatim in sequentibus expediendæ sunt, ut inde idea tam Ordinis, quam Influxus, per gradus, clarior sistatur.

Curiam ordine, secundum illarum animos, lepido, gregatim irruebant; & mox, ut intrabant, lucernis suis investigare cœperunt, ubinam essent suæ heræ Sapientiæ, nam eas lumine isto non potuerunt cernere; cumque temere illas perquisivissent (*i*), tanquam solæ sibi visæ, & suo genio relictæ, inter se alacriter incipiebant disceptare, & quasi judicio, sicut iis videbatur, confligere, num hoc esset Sapientiarum suarum domicilium; quædam asserebant, aliæ infirmabant, & plures consociatæ volebant ex arbitratu, & imperio, sicut supremæ Intelligentiæ, sententiam pronuntiare; Sapientiæ istæ, dictitantes, nullibi sunt, vacuas has occupemus sedes; fortassis larvæ sunt, quæ ad primum nostri luminis aspectum in aerem evolant; fruamur nostro arbitrio, nam liberæ sumus; sed quid est Sapientia! adjiciebant; quid est Anima! ex quâ se dicunt genitas; imo quid Vita! & quid iste Amor! qui omne fert punctum in earum loquelis: ubinam est Focus ille sacer, nec ille in hâc Curiâ, sicut narratum est, apparet; accendamus adhuc plures lychnos, & lustremus: sed inde orta est altercatio, quæ pugna cum in seditionem vergeret, Anima ex Adyto suo excita, nam sicut vertigo oculis ejus obversari cœpit, irrupit in Sacrarium, & inconditam illam turbam,

(*i*) Qualis turba sit Mentis, si Ideæ non invitatæ irrumperent, ex sermone nostro satis apparet; nam quod loquimur, ex Mente defluit: ex sermone elucet ejus status, num scilicet ex intuitione Finium Naturalium, seu Spiritualium, agit; si solum ex Naturalium, indicium est, quod Ideæ istæ invaserint Curiam, ac teneant clavum.

usque obmurmurantem, vi & minis, in sua cubicula, detrusit; fulgur enim ejus lucis non sustinentes, tanquam sui impotes & exanimes factæ, etiam ex seipsis dilapsæ sunt. His peractis, Sapientia, ad Principem suum conversa, videsne, ait, quam deformes, & quo habitu ferali, passis circum humeros capillis, sicut Erichtones, & quâ sanguineâ, & simul luridâ facie, apparuerint, & tamen sibi ipsis tanquam venustissimæ Imagines, visæ sunt; & quanta non oborta suit turba, & quanta non oboritura esset, si non ordo ille duceretur, ut Superiora arcesserent inferiora, seu ipsamet Vita naturam; Supremus enim est omnium Ordinum Ordo; ex Illo fluunt Fines, inde finium Usus, ac usuum Effectus; quando ille ordo constat, prima constanter rite eunt ad sua ultima, & ultima redeunt ad sua prima: hunc itaque feramus in oculis, quia eum in medullis nostris ferimus; per hunc ingenerata est Nobis Vita, quia per hunc ingeneratus est Amor; in summâ, eo ordine nihil sanctius, quia nihil antiquius est, & nihil antiquius, quia nihil sanctius, esse debet. Cum itaque in nobis Natura, in sodalitium munus Vitæ, per hunc Ordinem, invitata & copulata est, Nos Sapientiæ prospicimus, sicut ex summo fastigio, omnia, quæ infra sunt, & late oculis nostris subjecta; ac sicut ex summâ luce, quomodo inferiores istæ Vitæ, in umbris, dum in suo lumine, errant; Illæ vicissim, Nos non respiciunt; iis quasi umbræ ac lemures sumus; sicut lixæ illæ, seu Vernæ nostræ, in Curia, risum nec tenuisti, vidi, quomodo Nos suis luminaribus incassum investigaverint; & in sacrum Focum,

nisi circumseptus & custoditus fuisset, poene præcipites actæ, sic perituræ, deflagraverint; Nos autem, omnes illarum erraticos & ludicros actus, atque ipsas, non sicut Ideas, minus ut Intelligentias, quas repræsentare volebant, sed sicut Insanias, perspicue contemplabamur.

67. Cum itaque Corpora nostra sint modo thecæ ac recipientia Vitæ, ex Vita nostrarum Mentium intueamur, quid ipsamet Vita sit, quam vivimus: id quoque doceamur a Naturâ, quæ unum & idem, sicut dictum est, cum Vita facit, & sic contemplemur ideam in suo typo: Verum ut rationes cohæreant, & veritatem ex suâ luce tueamur, evocet jam ipsa Vita ideas; nec sicut nuper, nos pandamus fores Vernis nostris, ut ipsæ suâ sponte irrumpant; sed dictemus ipsis Ordinem istum, ac eum ut æternam sanciamus legem, secundum quam in sacram nostram ædem, ex suis domunculis & casis, conformiter, & sic uniformes, exeant. Supra enim perspeximus, quod Mentes nostræ aliquem referant Paradisum, sed ex radiis Solis Vitæ, seu Intelligentiæ & Sapientiæ, formatum; quare ob convenientiam unum contemplemur ex altero. Id unicuique nostrum satis constat, quod Paradisi nostri Terrestris Pomaria & Roseta, absque Calore sui luminis, sicut sub sidere hyberno, torpescant, eorum arborum & florum folia flavescant, rami honoribus suis orbentur; ipsi frutices decidant, & nihil non in pulverem relapsum pereat: Mox autem redeunte, cum suo novo igne, Vere, omnia ex tumulis suis in vitam resurgunt, ac pristinas suas ætates, ex alio semine, sed ex eâdem vitâ,

inchoant & percurrunt: ex quibus intelligimus, quod hæc omnia sint Caloris, nec solius Luminis, effectus. Transeamus jam a Vegetatis ad Animata, seu ab hoc Visus nostri Paradiso, ad superiorem seu nostrarum Mentium, & duntaxat loco unius Luminis substituamus alterum, seu Intelligentiam, & loco unius Caloris, alterum, seu Amorem, quatenus sibi mutuo, sicut dictum est, ad amussim correspondent. Mentes nostræ, prorsus sicut Pomaria ista & Floreta, similiter a solo Lumine Spirituali illustratæ, nec ab Amore intepefactæ, torpescunt, earum folia quoque flavescunt, rami honoribus suis orbantur, ac ipsi frutices decidunt; imo omnia ita marcent, ut non amplius sicut Mentes appareant; Vires enim earum frigent, ac potentiæ, sicut algoribus correptæ, hebent; cadit enim ipse Intellectus in umbram quasi Noctis, ac Voluntas in gelu quasi Brumæ; scilicet, ille caligat, hæc hæret indeterminata: similis est ratio unius & alterius: At vero, ut primum Amor, seu Spiritualis Calor, resurgit, omnia in suam novam vitam redardescunt, & quæ diriguerunt, iterum excitata, tanquam medullis subditâ flammâ, remollescunt, ac in florem suarum ætatum redeunt: nam Mentes illico incipiunt desiderare, ac Animi cupere, & sic iterum Vivere; ubi enim nulla desideria, & nullæ cupiditates, nulla etiam sunt excitamenta, aut nulli fomites, Vitæ; nam si nullus Amor, nihil desideramus & cupimus. Imo omnes nostræ Vitæ Status, a solo Amoris statu, dependent; utprimum enim Amori nostro indulgemus, remigrat Menti sua vita, & quâdam insolitâ alacritate gesti-

mus, inde Lætitiæ nostræ, Risus & Exultationes; imo inde mutui favores, & gratiæ: si vero Amor noster minis aut vi impugnatur, illico excandescimus, & eos, qui impugnant, sicuti hostes, instructâ acie, aggredimur, inde nostræ Indignationes, Iræ, & Furores: vel enim, secundum discrimen, in quod Amor noster conjicitur, micant nostri sinus, palpitant præcordia, currit per ossa gelidus tremor, & Mens, tanquam obortis tenebris, exanimatur, inde nostri Timores, Terrores, Tristitiæ, Luctus, & Dolores: Mox vero dum quasi per fenestram, Amoris nostri accessum aut reditum, e longinquo, conspicimus, iterum redit Mens, ac Vita Mentis, & quodam gaudio scintillat ipse Visus, unde Spes, qua lactari solemus: Verbo, omnes nostræ vitæ status, sicut dictum est, a statu nostri Amoris, dependent; & nusquam aliquâ re afficimur, nisi quâ Amor noster tangitur; nec solum ipse Amor Dominus aut Primas, sed etiam ejus omnes famuli ac stipatores, qui infiniti sunt (*k*); nam cohærent, sicut una Catena,

(*k*) Quod quisque in Se, seu in suis Cogitatis, Desideriis, inque Loquelis & Actionibus, & quidem in singulis emicationibus suæ vitæ, suum Amorem cognoscere possit, satis in aprico est: & quantumvis didicerit, alium, quam suum, vultu tam faciei quam actionum, mentiri ac simulare, usque tamen sibimet, & eo sapientioribus, qui non istos vultus & figuras respiciunt, satis patescit. Amores isti in genere non sunt nisi bini, scilicet Amor Supremus seu Optimi, & Amor infimus seu pessimi; pessimus est, quia a Supremo discessit, & prorsus dissidet: omnes reliqui Amores sunt intermedii, ac infinitâ varietate se ad unum aut alterum referunt; ita unius vel alterius effigiem, magis minusve portamus. Ipsi illi Amores sunt reales Essentiæ, quæ existunt; si non reales

cujus si unicum vellis uncum, universa, cum pondere inde appenso, movetur. Hic est ignis nostræ vitæ, cætera inde, sicut flammæ, se evibrant; exinde sicut in clarâ luce conspicitur, quod absque Amore nulla sit Vita; & quod talis Vita sit, qualis est Amor. His dictis, Primogenitus noster, manum suæ Sapientiæ, quam tunc, forte ex ardore excitam elevabat, ut rem gestu significaret, osculatus, & simul ab exultantis vitæ flammâ, adblandiente visu, sermoni ejus favebat; ad quæ, Sapientia, jam pervideo, inquit, quod tuus Amor, sit noster Amor; ille ex vultu, ac penitus ex radiis tui oculi, nam fulminat ipsa iris, emicat; sicut enim gestit & ovat Mens, ita etiam exultant ministra Mentis Organa; Visus imprimis ex ipso Amore scintillat; nihil enim non, quod Corporis est, in similes motus & habitus, in quos Amor, impellitur, & exsilit; inde tua suavia, & inde renidentia & gratum fulmen tui visus; nam Amor imperat Menti, & Mens Corpori; sic enim Vita & Natura, sub eodem signo commilitans, unam causam agit. Ut hæc, quoties moramur in Helicone, in Mentes nostras revocemus, ideo Focus ille sacer in

forent, nusquam eorum effigies in nobis repræsentarentur; nequaquam aliquid existere potest simile aut instar ejus, quod non est; typus omne suum trahit ab idea, secundum quam effigiatur; ubi nulla idea, etiam nulla effigies ideæ possibilis: absque Optimo & pessimo, seu Bono & malo, realiter existente, nulla foret Boni ac Mali perceptio, minus sensatio; proinde nullus Intellectus veri & falsi, ac Voluntas boni & mali; verbo nulla Mens, proinde nulla nostri & inde fluentium existentia; sic non umbræ ac ideæ, sed prorsus nihil, essemus.

Curiâ, igne suo perpetuo vivus & flagrans (*l*), ut consiliis nostri Intellectus continuo præluceat, & ardores nostræ Voluntatis moderetur; viderasne, quantum lacunaria & tecta nostræ Curiæ ab eo fulgent; & qualis caligo ac torpedo nos occupat, eo semiexstincto. *Ignis ille*, repræsentat ipsum Amorem; *Ejus Faces & Flammæ*, ipsa sacra Incendia nostrorum Desideriorum: *Circumjectus Focus ex adamantinis Circulis & Torquibus constructus*, Veritates, ac illarum Intelligentias, quæ sicut Nymphæ Vestales ignem custodiunt: *Aurum obryzum, quo focales circuli circumfusi sunt*, Bonitates, & harum Sapientias, nos enim flamines & antistitæ nympharum istius vestæ sumus: *Quod Focus ille per flammeum ignem in Aurum quasi adamantinum conflatus videatur*, significat pellucentiam Bonitatum per Veritates, & inde Harmoniam ac Unionem unius & alterius: *Quod innumerabiles eradientur Colores*, sunt Perceptiones Veri ex bono, ac Boni per verum; quare etiam illi *Colores in unâquâvis Intelligentiâ, secundum cujusvis oculi positum apparent;* nam Nos Intelligentiæ & Sapientiæ non prorsus similes sumus facie, & simili indutæ corpore, sed per societatem, in quam Nos per Amorem copulamur, unum Intellectum, & unam Voluntatem, & sic tuam Mentem, constituimus: Nihil enim usquam in Nobis, imo nec in rerum naturâ, Unum datur, quod non ex

(*l*) Focus hic cum suo Igne, Apparatu, ac Radiatione, supra, num: 51 descriptus est, ubi promissum, ut symbolica ejus explicarentur; hic jam habes interpretationem; quare locus ille, si libeat, prius consulatur.

pluribus unum fit per consensum & concordiam, id est, per unanimitatem, nec usquam aliqua Unanimitas, nisi per Amorem. Ex his jam constare debet, quod absque Amore nulla sit Vita; & quod talis Vita sit, qualis est Amor.

68. Cum itaque vitam Amoris, & ex eo nostram, vivimus; & Nos Sapientiæ & Intelligentiæ, quæ tuam Mentem conficimus, in fibris ac venis nostrorum corporum, non sanguinem, sed amorem, ab Eo Ipso infusum & continuatum, ferimus (*m*), nostra

(*m*) Dicitur, quod Sapientiæ ac Intelligentiæ, seu quod eòdem recidit, Mens nostra, cujus est Intellectus & Voluntas, non alium sanguinem seu spiritum, in suis Venis & Fibris, quam Amorem, seu vitam ejus, ferant; id quidem a Phænomenis omnium Effectuum confirmatur; verum ut idem etiam aliquatenus, per ipsam Anatomen, pateat, liceat aliquam ideam formationis nostræ Mentis tradere. Neminem latet, quod omnia nostra Organa, tam Sensoria quam Motoria, tum etiam Viscera, suam fabricam ex fibris & vasis sanguineis contextam gerant; si has fibras, quæ omnia, & simul vasa sanguinea, concinnant, usque ad sua principia, seu primos ortus, continente ductu, persequimur, manifestum redditur, quod omnes in Glandulas Corticales, in Cerebro, Cerebello, Medullâ Oblongatâ aut Spinali, desinant, & sic ex iis originem suam trahant; quare eæ ipsæ glandulæ, quæ sunt principia fibrarum, etiam principia sunt omnium operationum, quæ per fibras excitantur & exercentur; proinde in iis sunt principia nostrarum Mentium, ipsæque Mentes, nam ad ea subeunt omnes sensationes, & ex iis fluunt omnes determinationes voluntatis in suos actus; nec datur alibi finis & origo, quare iis destructis, aut fibris abscissis, quæ ad Organa sensoria, vel ad Musculos, tendunt, pereunt illico sensationes & actiones. Ergo si jam illas glandulas seu sphærulas, ut principia omnium nostri Corporis formarum Organicarum, & earum Facultatum ac Operationum, expendimus, in opem

omnino refert, ut sciamus, quis est, & qualis ille Amor, sub cujus nutu Orbis, quem credimus esse nostrum, regitur : Sunt enim Amores infiniti, verum unus, omnium partes sibi potissimum, in unâquâvis Mente, deposcit, qui, ut supremus moderator, summam rerum administrat, & inter cæteros dispensat officia : & quia totidem numero sunt, distinctæ nostræ perceptiones pereunt ; nam præ solâ infinitate, cumprimis quando etiam dissident, Mentes caligant ; quæ etiam causa est, quod id, quod est omne in omnibus, intuitus nostros, præ cæteris,

vocando Anatomen Cerebri in genere, tum etiam Doctrinas Formarum, Ordinis & Graduum, ut & Influxuum, ac Correspondentiarum, pervenire possumus, ad Cognitionem, quomodo Principia illa formata sunt, seu quomodo ex purissimis, aut fibrarum Corporis æmulis fibris contexta ; & quidem evidenter ad eam, quod staminula illa extremæ subtilitatis, fibrarum Corporis, ut dixi, æmula, seu per eminentiam fibræ, non ferre queant talem essentiam, aut tale fluidum, quale fibræ ab illis derivatæ ; proinde non Spiritum Animalem, minus Sanguinem rubrum, qualem Vasa, seu Arteriæ & Venæ ; sed loco illorum aliquam essentiam cui vita inest, proinde illam, quæ ab ipso Fonte Vitæ defluit, & cui Spiritus Animalis, & demum Sanguis ruber in Corpore correspondent, quique ab eâ etiam suam vitam sortiuntur ; hæc Vita est, quæ ipsam Mentem nostram, seu principia organica, actuat & regit ; quare dicitur, *quod Sapientiæ & Intelligentiæ in Fibris ac Venis suorum Corporum, non Sanguinem, sed Amorem, id est, ejus vitam ab Eo Ipso infusam ac continuatam, ferant.* Hæc plenius & clarius ab ipsis Phænomenis & Effectibus, quam per obscuram & spatiosam viam Anatomicam & Philosophicam, confirmantur ; tametsi beneficio istarum Doctrinarum, quarum supra mentio facta est, eadem prorsus demonstrari queant, sed non intelligibiliter, nisi Anatomiæ & Philosophiæ peritis.

fugiat; ita etiam Amor, qui est omnis omnium in nostro Mundola seu Corpore, & qui sicut Numen, aut sicut virium nostrarum Anima, cursus ejus & fluctuationes, variis & incertis habenis regit: sed hæc una est causarum, quod non facile dignoscamus unum Amorem ab altero; datur adhuc alia, scilicet, quod unusquisque Amor, sicut pantomimus, gesticulatione suâ, Amorem Supremum seu Optimum effingat, & sic Mentes laqueis suis irretiat: nam unus sicut alter Heliconem struit, quem etiam Olympum appellat; Intelligentias etiam ac Sapientias gignit, ac in eum introducit: Atria quoque, quæ Musæa & Athenæa vocat, parasitis & famulis complet, quæ scilicet faveant, adblandiantur, & ludos ejus actu & gestu effigient: Imo, quod magis est, Focum etiam in Curiâ adornat, indicitque festa, utque sibi parent thura, ferta, sacrificia, jubet, ut & litat; præter adhuc plura similia, prorsus sicut in nostro Olympo. Satellitiis & præsidiis etiam, imperat, ut se Optimum dicant, rideantque eos, ut insanos, qui ausint dicere, se aliquid prius, sicut Optimo melius, dari. Instruit etiam sua famulitia, ut si alius Amor, sibi inimicus, invaderet, excitent omnes turbas, vibrent, quotcunque ferunt, vitæ faces, incendant utrumque sanguinem, exciant atram bilem ex inferâ Cysti, & sic vasa totius Regni furore impleant. Cumque Amor ita Mentem suam instruxerit, & principaverit, tunc omnia ex principiis istis, sicut ex radicibus, secundarium suum ortum trahunt (*n*),

(*n*) Omnia, quæcunque a Semine & Animâ ortum ducunt, in genere, specie & parte, secundarium ortum a radicibus,

ac ejus vitæ conformiter se protrudunt; ita quandam ideam Paradisi excitat, quem suum Cælestem vocat, ex quo Terrestrem, ut effigiem ejus, contemplatur. Insuper etiam strenue mandat, ut Mentis istius possessorem, sicut Principem, regio adornent pallio, in solio collocatum sceptro & coronâ insigniant, ejusque juri ac arbitratui omnia quasi subjiciant, persuadeantque, quod ille solus rerum potitus, imperia ex scitis & placitis, gerat; nec ei usquam, sub poenâ exilii, in aurem dicant, quod ille, in eo solio, sicut illustris statua, aut auro gemmisque ornatissimum simulachrum, immunis imperii, sedeat. Ex his vides, quanti, & quam maxime e re cujusvis, sit, suum cognoscere Amorem; & quia tam multi sunt, & omnes personati, sicut harioli, imitamine Optimum referre volunt, hunc discernere gregem; nam inde, auspicia nostræ vitæ, ejusque omnes conditiones, fortunas, & fata, trahimus.

69. Sed memini, quod nuper animum tuum non leviter offenderim per solam mentionem plurium, quam unius Amoris, & quod ideo filum ingressi mei

aut principiis suis, trahunt; nam Semina primum radicem protrudunt, & per eam denique traducitur omnis succus in caules, ramos, folia & frutices; similiter etiam in Animatis, ex Animabus, sicut ex seminibus, primum excitantur Principia, postmodum ex principiis istis omnia educuntur; nostræ Mentes dicuntur Principia Corporis Operationum, quæ a Voluntate dependent; sed antequam Mentes fiunt, seu intellectualiter agunt, sunt modo Principia fibrarum. Hoc in universa natura commune est, quod similia Principia a suis primis originibus excitentur, & per illa deinceps ulteriores effectus instituantur.

sermonis perruperis; idem etiam nunc pervideo, & persentisco, nam simulare nequis; pupilla tui oculi non læta ignescit flamma; nec te mihi hilarum & placidum das; verum ut igniculi istius rubiginem in candorem vertam, pandere velim, quod nescis, scilicet, qui sunt illi Amores; satius est a sapientiâ tuâ id discere, quam ab expertis in seipso documentis; nam alter ille contrarius nostro est, non amor, sed hostis; ac singulari consilio reperit rationes, ut insontibus imponat, & suos clientes fictâ circumveniat amicitiâ; cumprimis incautiores tenuibus adblandimentis illaqueat: utque casses suas & omnia retia explicet, ignorationem sui, & non existentiam, primum injicit; nec callidius nectit nodos, quam in umbra nostri Intellectus; sic etenim Lucem Cælestem extenuat, & Sacrum Ignem exstinguit, quem exosus, interponit tale umbraculum, ut post id ludos suos instituat; quapropter nusquam alibi plus & securius vivit, quam penes quos, se non vivere, fidem facit. Idcirco nostra refert, ut instruaris; nusquam enim a suomet lumine, quia se umbrâ velat, sed a nostro, qualis est, cernitur. Verum ad ipsam rem: Non est nisi Unicus Amor, omnium Bonitatum & Veritatum Fons; sed datur etiam & existit alius, qui quia omnium malorum, etiam omnium falsitatum, origo est: sed nescis adhuc, quid malum, & quid falsum; O aurea infantia! id etiam nos præteriret, quia naturam suam nobis celat, sed solâ auditione id cepimus. Non te jam latet, quod Cælum detur & Mundus, seu Natura Cæli & Natura Mundi, quodque illæ inter se dis-

tinctæ & diversæ sint, sicut ipsa Lumina, & ipsi Calores, de quibus tam frequenter suprà; quapropter Mentes nostræ sunt Centra utriusque, & versus unum ac alterum, se, arthrodice, flecti & converti patiuntur. Deus opifex utriusque, tam Cæli quam Mundi, ut omnia quæ in infimis sunt ad ejus suprema, & quæ in extimis ad ejus intima, quæ valde a se invicem distant, & sic rite suo ordine, irent ac redirent; utque universus Mundus, sicut Cælum, cum suis usibus ac delitiis, ad Amorem nostrum, per utramque viam, a Se scilicet, & simul directe, influerent, & sic Ille omnia & singula ex sacro Amoris sui igne, ac Intelligentiæ & Sapientiæ adyto, disponeret; Fontem etiam vitæ, cum suis infinitis rivis, in ipsâ naturâ Mundi, excitavit; absque enim tali spirituali fonte, in ipso Mundo, non perfectissimus inductus fuisset Ordo: hæc Causa fuit creationis plurium spirituum ac geniorum, seu plurium essentiarum, quæ hic vivunt; atque unius omnium Principis aut ducis, quem Fontem illius vitæ, & cæteros fontis illius rivos, appellamus. Hic Deus Mundi factus est, ac Aula ejus similis Aulæ Cælesti; suos etiam primores ac satrapas, inter quos provincias ordinat, suas etiam, quas dicit, Intelligentias & Sapientias, imo infinita ministeria, sicut Regni illius amplitudo poscit, habet; sed penes ipsum omnis illa res est; nam magnum tenet imperium, quantum scilicet hoc Universum, quod nudis oculis subjectum patet. Ipsa Natura Mundi est Vitæ expers, facta solum ut Essentiis Spiritualibus seu Mentibus vivis pro Causâ Instrumentali aut Organicâ inserviat,

nam nihil non in Universo, illis usui cedit; verum Supremus noster, non illarum, sed unice Amoris sui seu Filii Unigeniti, gratiâ, totum Universum, tam Cælum quam Mundum, creavit; quare omnes Spirituales Essentiæ, & quæ vivunt Mentes, non sunt nisi Vitæ mediatrices, & sic iterum Causæ instrumentales, proinde totum modo Machina mediationum, ut Amor supremi, foret omnis in omnibus, & per Eum cælestia juncta terrestribus. Ob hunc finem hic tantæ dominationis imperator creatus: verum quia tanta ei procuratio & administratio a Supremo nostro decreta est, ille animis ingentibus elatus, ac ita insolens factus est, ut sibi etiam Cælum sumere, ac potestatem nostri Amoris arrogare vellet; nam sibi relictus præ se neminem duxit; idcirco a Supremo per rebelles motus contra Unigenitum, prorsus descivit: inde Imperia seu Universa scissa sunt: vivit usque ex radiis vitæ Supremi, nam inde omnium viventium vita, non autem simul a Vita ejus Amoris, verum ex sicco proprii amoris igne; ac præterea, quantumvis desciverit, sub eâ necessitate, quasi lupatis ac catenis vinctus, ut omnia jussa nostri Numinis obsequiose exequatur; id enim causa fuit ejus existentiæ, eandemque premere, ne cruciatibus sui odii ex dissidentiâ orti, mactetur, stricte coercetur; tum etiam ut a Mundo suo narrata ferat; sed mendaciis conturbaret omnem Veri cognitionem, nisi Supremus omnia & singula ante ipsam Mundi creationem ex Seipso, & quod actum consequantur, per infinitas alias vias, cognovisset. Ex his jam patescit, quod bini sint, qui in Universo regnant,

Amor scilicet Optimi, ex sui Amoris naturâ, ut Cælestia uniantur terrestribus, & alter pessimi, ex naturâ odii, & sic ex amore, ut dissideant. Ex unica hâc origine, tot innumeri exsurgunt Amores; infinita enim multitudo, ex solo unius discidio, nascitur.

70. Sed quia in aureâ tuâ innocentiâ vivis, & hæc Universi fata nescis, ne forte in mentem inducas, me tibi fabulas narrare, velim id palam facere; descendamus modo per aliquot nostræ scalæ gradus in atrium hujus aulæ, & oculis tuis ejus cubile, ac illum ipsum intueberis; tum etiam ipsam ideam Universi conspicaturus es, nam typum ejus circumferimus. Anima enim nostra repræsentat Supremam Mentem Universi Creatricem, nam similiter etiam illa, sicut munduli sui Diva, aut vicarium Numen, in supremis ac intimis, inque suomet adyto, residet, & ex eo parvum suum Universum gubernat; ei etiam similis Omnipræsentiæ, Omniscientiæ, ac Omnipotentiæ species, sed intra limites sui Regni, concessa est; nihil etiam inibi vitam suam, nisi ab ejus vitâ, ducit; omnia enim ex fibris suis, sicut ex radiis a fonte ejus vitæ derivatis, construxit, & quasi condidit; verum non ipsa, sed Supremus noster, cum suo Amore, per ipsam. Mens vero tua, cum suo Intellectu & Voluntate, repræsentat ipsum Amorem, seu Unigenitum Supremi, cujus imaginem portat; nam Anima Mentem istam omnium primo, ut unicam suam prolem, genuit, ac deinceps per introductas in Sacrarium ejus ideas & veritates, formavit & produxit Intelligentias & Sapientias, & sic constituit Olympum, prorsus similem ac instar

ejus, qui, in ipsissimo Cælo, Unigenito Supremi subjectus, conspicitur (*o*). Mens vero inferior seu infima, quæ etiam Animus dicitur, cum suis geniis, repræsentat magnum illum Principem Mundi, cui tanta potestas a Supremo data est. Verum hæc non sunt meræ Repræsentationes, sed realiter hic vivimus & ambulamus exigua Universa, ac tam Cælum, quam Mundum, proinde Regnum Dei, in nobis portamus: Supremum Numen, Sanctissimus noster Parens, in Animâ nostrâ, cum suâ Vitâ, actualiter est; Unigenitus ejus, seu Amor noster, actualiter in ipsâ Mente, quam incolimus. Et princeps ille Mundi actualiter cum suâ vitâ, in Animo, seu in Mente hâc infimâ, verum absque turbâ, quia ab Amore nostro, qui Mentem tuam possidet, sicut janitor, vinctus est & compeditus, proinde humilis, officiosus, urbanus; nec ibi ardet, quia non audet, vel minimo digito cælum nostrum attingere: ei similiter, sicut vides, injunctum est, ut ad Nos referat, quic-

(*o*) Quod Anima totum Corpus, ex fibris a se productis, quasi condiderit, quodque, omnium primo Mentem illam, quæ Intellectualis dicitur, sicut suum Unigenitum, conceperit, & ejus Olympum exstruxerit, & mox in eum Intelligentias & Sapientias introduxerit; quodque ei suum Imperium regendum tradiderit, sibique modo Naturam istius Regni, ei gratificandi causa, reservaverit, & plura, quæ prorsus cum Regimine Universi coincidunt, supra satis prolixe & luculente exposita videas; nam tanta intercedit, ne dicam, affinitas, sed cognatio, ut qui in cognitione unius est, etiam in cognitione alterius sit. Quod Veteres clarius perspexerint, nostrum Corpus referre Universum, quam Nostrates aut Christiani, id excæcationi Mentium, a principe istius umbræ, adscribi potest; ne scilicet clare ejus Infernum, minus Dei Cælum, contemplarentur.

quid Mundulum ejus contingit; utque omnia in actum deferat, quæ nos sancimus & decernimus: hic vides, ait, ubi illi resident, qui a Sensibus externis omnes imagines & modos aspectabilis Mundi primum excipiunt, & vel ad aures nostras perferunt, vel ad visum nostrum repræsentant; heic iterum illi, qui mandata nostra, per fibras in Musculos traducunt, & sic nostra imperia in actum determinant: si velis experiundi gratiâ, hos aut illos removebo, ac veritatem rei percipies. Nos in Sacrario nostro modo intuemur fines & disponimus media, quæ dein voluntati commissa, traduntur principi illi, ut ab ejus famulis amandentur in effectus, ut fiant usus a Cælo nostro, id est, nostri Amoris, designati: ipsa Voluntas per se non est nisi conatus agendi, ex quo nihil absque ministrantium auxilio existit. Sed Animus ille, seu atrii nostri prætor, quia ab Amore nostro vinculis opertus jacet, sub necessitate obsequii decreta nostra exequendi vivit; ita enim clavo advinctus assidet; ac vitam suam ab Animâ nostrâ, seu per illam, a Supremo, trahit: id etiam sola inspectio docet. Quod ille vitam agat a nostrâ prorsus diversam, id patet a potestate nobis relictâ, ut velle queamus, & tamen sistere & inhibere actus; ut & excubare, & nos removere ab Animo, ac totam nostram mentem subducere ab ejus oblectamentis & cupiditatibus; nam dum intuitionibus veri ac boni intendimus, ne quid luminis ab ejus facibus nostram inumbret lucem, tamdiu seris portas illas claudimus.

71. Sed tametsi hic famulus noster, quia catenatus,

tam humanum & placabilem se nobis præbet, usque tamen Amoris nostri infensissimus hostis, est, ac odium penitus insitum ejicere nusquam potest; vafer est, & ad omnem fraudationem callidum gerit ingenium; nec prius aut potius cupit & molitur, quam ut omnem suam turbam in civicos exacuat motus, eamque sub signis suis ordinatam in tuæ Mentis palatia effundat, & nos Sapientias Olympo tuo ejiciat; ipsi cuniculi, per quos se inferre potest, sunt plures, quos jam omnes tibi digito monstravi; sed sunt, sicut probe nosti, modo bini accessus in Mentem tuam, scilicet a superiori, & ab inferiori; Via superior est per Animam (*p*), ejusque adytum; hæc sacra est, & ei prorsus impervia, & quidem tam angusta, ut ne quidem minimum digiti, per ejus meatus, inferre queat, nam grandis ac obesus Cor-

(*p*) Scilicet, ubi Anima est in formâ suâ supracælesti; proinde ubi est in principiis operationum sui Corporis, de quibus supra: Nam Regnum nostrum Animale in tres sphæras partitum est, scilicet, in Sphæram Principiorum, in Sphæram Causarum, & in Sphæram Effectuum. Principiorum sphæra est in supremis, ubi etiam sunt Principia omnium Fibrarum, & in se comprehendit Animam, ubi in forma sua supracælesti residet, tum Mentem Intellectualem, ut & Animum; hæ enim sibi mutuo subordinatæ principia gerunt omnium operationum, quæ in inferioribus sphæris existunt. Sphæra Causarum inde producitur, quarum Complexus est Cerebrum, cumprimis Medullare, cum Cerebello, Medullâ Oblongatâ & Spinali, quæ ideo per Ossa & Vertebras, sicut per Mænia, separata ac disterminata est a Sphærâ infimâ; hæc seu Sphæra Effectuum, est omne reliquum, quod proprie Corpus audit, cum suis Organis, Visceribus, Artubus & Toris. Prorsus similiter ac in Universo; in quo etiam tres Sphæræ dantur, scilicet Principiorum, Causarum, & Effectuum.

pore est; illa via solum Domino Lucis, & Ejus Amori, patet: Hæc vero, seu via inferior, est sola, per quam ille surrepere ac eniti potest; nam ea, usque a sensoriis portis, ejus Mundi lumini ac modis, proinde Imaginibus in Ideas versis, patula est; ut & versus mænia, quæ musculis loricata sunt, per quæ fines nostri in actus erumpunt, in mundum ejus aperta. At quia ille, consultis suis dolis, omnes movere machinas novit, ibi præsidia prudenter disposuimus; Veni mecum, & recognosce, ait; ac tunc eum deduxit ad omnes angiportus & aditus, eique aperuit nulla non viarum compendia, quæ usquam ei præbere potuissent iter; & simul de machinis ejus multum diei sermone suo protraxit.

72. Sed in portu sumus, technis ejus recensendis, quæ infinitæ sunt, & numerum omnium myriadum excedunt, non diutius immoremur: verum Statum Imperii, quem debellatæ ac triumphatæ Menti inducit, dignum est discribere. Dum enim Intelligentias infimæ sortis alicujus Mentis, artibus delusas, in partes, vel potius in spinas suas, pellexerit, fasces imperii atque purpuras ante oculos earum expandendo, tunc ab iis aperiuntur portæ, ac ei detrahuntur catenæ; & confestim ille genios suos sub signis ordinat, & cum facibus ac naturæ luminaribus Curiam & Sacrarium invadit; atque Intelligentias & Sapientias ab Amore nostro inauguratas foràs expellit; quæ quia Innocentiæ, & sic mites, & nihil non ex amore agunt, facile, sicut columbæ viso milvo, in fugam se recipiunt; & quidem in Matris suæ adytum, ut in quoddam asylum, obsignantque

portam; ac ibi omnem ejus turbam, quam excitat, perspicue vident; a superiori enim, sicut a speculâ rupis, omnia, quæ infra fiunt, non autem vicissim, prospiciuntur: sed relata refero; dicunt, quod similem statum Imperii devictæ Menti inferat, quem ipse intenderat Cælo; ac similem Atrio, quem ipse in suo Universo occupatum tenet. Mentem enim subjugatam vocat suum Olympum seu Cælum, quæ quia effigies est Regni Amoris nostri, in animum suum inducit, quod ipsum Cælum, dum typum ejus, invaserit ac possideat, quodque loco ejus sceptrum totius teneat; ludit enim similes ludos in Parvis, prorsus sicut voluit in Magno: inde qualis Universi status futurus esset, si ipse rerum potitus gubernacula rexisset, liquido constare potest; prorsus enim effigiem sui in parvulum hoc Cælum transcribit. Audi itaque ordinem ac formam, quam introducit: ipse plane ad imitamen Cælestis Imperii sibi comparat Intelligentias ac Sapientias, quarum unicuique imaginem sui indit, sed quas potius diceres Insanias, quippe natas & productas ab ejus veritatibus, quæ non sunt nisi falsitates & malignitates; ipsas enim Ideas, in quascunque libet formas, dispescit & componit; nam formæ a determinatione trahunt omnem suam naturam, & a natura facultatem & modum agendi; unaquævis enim Idea, nam stupidæ sunt, se unicuique formæ inaptari & quasi inoculari patitur, sicut unusquisque color unicuique pictæ imagini, aut unaquævis vocula unicuique sermonis articulo. Ex Intelligentiis istis insanis, quæ ad lucernas & cereos vivunt, ac in furvis

habitant antris, Mentem istam, & sic imaginem sui efformat; hic suum Cælum statuit, e quo inferiora gubernat. At vero Imperii sui regimen, quale, ut dixi, in Mundo possessum tenet, non in Mente istâ, ubi sicut rector Olympi residet, sed in ipso Atrio, ubi sunt ejus genii cum suis affectionibus, quibus ducem, quem etiam Animum vocat, præficit, instituit; his omnem potestatem agendi, secundum suos motus ac naturæ instinctus concedit; ipsum Animum Universi Dominum declarat, eique omnia, quæ in suomet obtinuit Mundo, sceptra tradit, eumque loco sui substituit, dum ipse se ut Deum, inter suos, proclamat: eique insuper potestatem facit eligendi, quoscunque lubet, amores, sed non alios, quam qui Corporis ac Mundi sunt: inde tot exsurgunt Amorum phalanges, ut nisi in genera & species dispescerentur, vix illos a se invicem dignoscere, dabile sit; nam ab Animi istius geniis, qui jam non famuli ac mediastini, sed principes Mundi facti sunt, continuo, sicut a fornace, cupiditatum flammæ erumpunt; ex naturâ suâ id etiam trahunt, quod alias non sapiant Bonitates, quam quæ sunt harmoniæ & formositates naturæ; nec alias Faustitates, quam delitias Corporis & ejus Sensuum; nec alia Desideria, quam Appetentias & Cupiditates; objurant etiam per suum Numen, seu per Conscientiam suæ Mentis, quod Bonitates & Faustitates superiores nusquam sint, quare illas inter larvas aut somnia Morphei rejiciunt. Ipse sychophanta in Olympo illo residens, nec alios contexit nodos seu versat fines, quam qui Animo isti indulgent, ac geniis ejus

favent; & per suas Sapientias, sicut illas vocat, omnia disponit media, ac libidines earum non frangit seu ad superiores usus restringit, sicut Nos, sed incendiis inflammat; ac voluntati remittit habenas, ut omnia secundum cæcos illorum impetus in actum ruant. Tum etiam sollicite & circumspecte providet, ne quid se alte insinuet, quod aliquam superiorem lucem apportat; quam illico, accensis suis facibus, exstinguit: utplurimum etiam sceleri adjungit prudentiam, sicut nuper a me narratum audivisti, nam consultis suis dolis omnes machinas movere novit; hospites istius lucis, per plures semitas ac labyrintheas ambages, ducit & abducit: seque etiam, sicut Vertumnus, in varias, inque Cælestes transformat imagines, & per speciosas repræsentationes tamdiu eludit, dum eas etiam in suas formas transcripserit, ac suis Intelligentiis associaverit: atque interea per suos genios omnem sensum delitiarum naturalium, iisque fruendi libertatem, inspirat. Sed quæ Libertas! Mente sub servitutis jugum redactâ; nihil enim audit vere Nostrum, quam Mens Intellectualis & ejus Voluntas; inde dicimur Homines, & discriminamur a brutis; hæc si non scita sua, ac rationum formas, a Cælo & ejus Luce haurit, & per Ordinem supra descriptum imperat Animo; & per eum a Mundo evocat ideas, & evocatas surculis seminum Amoris nostri inoculat; sed si a servitiis in libertatem emissis, imperatur, actum est de Humano, ac de Nostro; tunc enim inferiora influunt in superiora, ac totus invertitur ordo.

73. Sed furcifer iste non usque deponit metum,

omnem reformidat sibilum ac susurrum; præsidia utrinque posita sedule recognoscit; quid non sceleris conscius extimescat; metu usque audacia continetur, nam gelidus semper ac luridus currit per fibras tremor; jugiter id eum horrificat, quod Sapientiæ Amoris nostri se in Adytum maternum receperint; idcirco attente præbet aurem, num forte confabulationes earum cum suis Intelligentiis percipiat, probe enim novit, quod illæ, tametsi Innocentiæ, usque simul summæ Intelligentiæ ac Prudentiæ sint, & quod una ab ore illarum prolata Veritas mille ejus fallacias in aerem dissipet; quodque una scintilla illarum luminis, mille ejus lampadas exstinguat; quare etiam suas Nymphas instruit, ut nusquam machinatos ejus dolos aperiant, sed jugiter prætexant ipsissimos nostros Amores; nec nisi quam candido ac Cælesti amictu ornatæ in publicum prodeant. Quandoque tamen Sapientiæ Cælestes Intelligentias istas clanculum audaciæ redarguunt, cumprimis illas, quæ a partibus suis descivisse norunt, & se in ejus formas transcribi passæ fuerint; inque earum mentes revocant statum illarum præterlapsum, tum etiam præsentem, & futurum; illæ tunc, sicut aiunt, rubore suffusæ, incipiunt angi, & ex dolore intus oborto, plangere sinus, ac vulnere quodam indolente morderi; & sic turbas excitare; ipsumque cardinem Mentis sursum movere, ut in socias aliquid fulguris ex luce cælesti irrumpat, quâ externata cohors in furva sua antra & obscuras latebras aufugit, nam lucis illius radios non sustinent: id etiam in ipso atrio, appercipi dicitur, nam pene-

trat, sicut fulminis ictus, in cubicula, non per rimas, sed per ipsas portas, quæ diu noctuque apertæ stant; inde suspiratus & luctisoni mugitus; hæc vocant Conscientiæ Morsus. Hostis vero ille, tunc convocatis omnibus suis copiis, ac thesauris universi sui Mundi reclusis, & servitiis non solum manumissis, sed etiam spe licentiæ & dominationis lactatis, sic Intelligentias istas, quæ turbam excitarent, aggreditur, easque vel in exilium ejicit, vel catenis obruit; ita ipsemet accessus ad Adytum Animæ validis repagulis obfirmatur; ipse quoque Mentis cardo ita posti affigitur, ut sursum flecti amplius nequeat. His peractis, securior factus, omnia secundum lubidinem gubernat, ac votivos & talarios instituit ludos, cumprimis Apollinares in honorem serpentis Pythonis; & quamlibet nympham lauro, victricis præmio, ornat, creatque reginas, & vocat Olympiades ac Heliconides; inferioris vero turbæ singulas, suas Parnassides, vel etiam Aganippides, a fonte illo, quem equi ejus victoris ungula perrupit (*q*); & sic omnes novis inflammat lubentiis, & occæcat illecebris.

(*q*) Veterum Fabulæ de Pallade, Camænis, Fonte Parnassi, Equo volucri seu Pegaso, & pluribus, sunt meræ Repræsentationes rerum significativæ, Cælestium similes, quarum quod Loquelæ fiant per Repræsentationes vivas, quibus exprimunt simul plures rerum series, supra indicatum est; sicut Intellectum humanum, per Equos, qui secundum varias ejus qualitates figurantur, & phaleris instruuntur; Scientias ac Intelligentias per Nymphas, & earum Supremam, per Reginam seu Pallada; Experientias per Viros, quibus nymphæ istæ connuptæ sunt; earumque Ducem per Apollinem: Claritatem intellectus per Aquas cumprimis fontanas: ejusque

74. Sed scire interest, qualis Vita earum est credunt enim se claram ac supracælestem, & credunt nos agere obscuram, & earum vitâ multo inferiorem; omnia enim ex vertigine ista inverse spectant: quare non reticere velim, quia dignum relatu est, quid audiverim & viderim; semel enim comes associata fui Sapientiis Cælestibus, quæ aliquoties totum peragrant Orbem, ut explorent turbas & rebelles motus, quos tyrannus ille in suo Mundo continue fomentat, & actu exsuscitat: quondam enim in hoc comitatu offendebamus gregem harum Intelligentiarum, quæ candidâ & cælesti indutæ veste, in foro, ansatæ ac animosæ, ambulabant, & quæ prius a partibus Amoris nostri steterant, sed postmodum in numerum stipendiorum alterius cohortis se adscribi passæ sunt; Cælestes eas vocant suas amicas, nos autem suas sorores. Cum Divæ Sapientiæ illas Intelligentias eminus conspicatæ essent, anticipatis per compendia viis, ut illis obviàm sisterentur, ad illas, amico vultu, ne forte aufugerent, accedebant, percontantes, unde tam cultæ venirent; illæ ad primum aspectum pudore oculos dejiciente quidem

obscuritatem, & varias inde oriundas difficultates ac turbas, per Aquas turbulentas: Cogitationes per diversi generis, coloris ac pulchritudinis, Aves, unde Parnassides toties in volucres, ac vicissim, mutatæ dicuntur; inde etiam denominatæ sunt Pierides: ut plura ejuscemodi alia præteream: ex quibus haurire licet, quod Veterum fabulæ meræ fuerint repræsentationes a Cælo haustæ; proinde quod illorum Mentes Cælo propinquiores, quam nostræ, fuerint, quæ ne quidem sciunt, quod tales Repræsentationes existant, minus quod similia significent.

suffusæ, sed audaciâ & tam amicâ interrogatione excutiente timorem, se de Ludis suis, & quidem de Apollinari seu Pythico venire, respondebant, & simul explicabant frontem, tanquam animis a spectaculo illo adhuc ovantes: sed Sapientiæ Cælestes, quæ non mendacem spectant formam, verum penitius in mentium latebras introspiciunt, indice digitorum in parvulum orbem circumacto, per hoc, signo stuporis facto; O quam ferrugineo & funereo, inquiebant, apparetis vultu; ubinam est splendor vitæ, quo vos, siderum instar, non ita pridem illustratas vidimus; unde illa inamabilis nubes & fuligo, quæ jam faciem vestram obducit: illæ ad sermonem hunc obstupefactæ, se mutuo intuebantur; & annon videtis, regerebant, quàm plenam vitâ faciem exporrigimus, & quo non igne micant nostri oculi; & quomodo sanguis ab intimis gaudiis exultat; unde venit vester joculus; aspice etiam nostras nive candidiores vestes. Sed Sapientiæ Cælestes, ah, meæ Amicæ! dicebant, si contemplaremini vosmet ipsas nostrorum oculorum acie, vos obsecramus, prorsus aliud perspiceretis; concedite nobis ex otio vestro modo exiguam partem hujus horulæ, ut familiarem, sicut prius, sociemus sermonem. Novimus, quod tanquam persuasæ credatis, vos non solum vitam, sed fortassis, supremam, & ipsissimam cælestem, agitare; Amor iste, cujus imagines estis, etiam ejus rei fidem quoque facit; nam ob visum vestrum ille glaucomam objecit: verum quia Intelligentiæ persuademini esse, non vos forte latere potest, quod gemina detur Vita, una Cælestis, & altera Naturalis;

& quod utraque Vita sit, quia utraque Spiritualis; nec Vos fugit, quod Vita illa prior seu Cælestis, non nisi quam de Cælo rectâ in Mentes nostras influat; altera quidem etiam de Cælo, sed non directe, quippe per aliam venam, sic mediate, sicut etiam in ferarum Animos: cum jam Mentium vestrarum janua non in Cælum, sed modo in Mundum, aperta sit & pateat; seu cum cardo illius januæ ita posti suo accretus sit, ut Mens non nisi quam deorsum spectare queat; & cum ne quidem minima rimula sit, per quam luci cælesti per suum tramitem penetrandi datur copia, undenam tunc vestra Vita? seu per quam portam admittitis vestræ vitæ radios? forte dicitis, per communem illam, seu per aurem & oculum; sed unde tunc venit tanta umbra rerum Cælestium? & unde frigora & oscitationes ad solam mentionem Vitæ superioris? unde tam fluxam, ac si intimum vestri consulitis, nullam geritis fidem, de Amore nostro, de ejus Cælo, de Animæ futuro statu, ac de ejus Æternitate? hæc omnia pellucerent, tanquam per clarissimam gemmam, si altera reclusa staret janua. Cum itaque illa, quæ omnium rerum essentialia sunt, in tantâ ignorantiæ umbrâ, ac in tanto frigore, sepulta jacent, a quo tunc fonte ducitis vitæ vestræ rivos; anne tunc ab eo, cui plus umbræ, quam lucis, plus frigoris quam caloris, id est, plus mortis quam vitæ, inest: confiteamini, nam id sentire potestis, an hoc vivere dicendum sit. Revocate in Mentes vestras, tametsi fidem istius rei forte etiam abjeceritis, quod ita a Supremo nostro institutum sit, ut Vita Cæli in Naturam Mundi, per

Unicum ejus Amorem, qui cum Illo in intimis & supremis est, influere debeat; ut non modo Lux, sed etiam Calor spiritualis, Mentium, & sic Corporum nostrorum, Vitas, excitet: Notum etiam est, quod alius fons vitæ a Supremo nostro quoque factus sit, per quem Amoris nostri Vita cum universo suo Cælo, in Mundi naturam influeret, & sic Cælestia conjungerentur Terrestribus; hic inferior Vitæ fons factus est vinculum, aut copula spiritualis, ob finem, non solum ut omnia continerentur, sed etiam ut suo ordine a supremis ad infima, & ab infimis ad suprema, irent & redirent: absque illo, nec Corpora nostra conjuncte cum suis Mentibus vivere quirent, nam Animus noster est Vinculum illorum Unionis. Quando jam Vinculum illud scissum est, seu Copula spiritualis inter nostrum Amorem, & fontem illius vitæ, seu principem mundi, rupta, quænam tunc remanet vita, nonne illà, quæ ex eo solo emanat: Notum enim est, quod nulla vita detur absque Amore; & quod talis vita sit, qualis est Amor; cum jam nulla amplius trahatur vita de Amore Cæli, dicite tunc, quamnam vitam ducitis; annon funeri potius quam vitæ similiorem. Sed attendite adhuc parumper; forte hæc rejicitis in crastinum, ut claritatem istam involvatis umbris; nam pervideo, quod hæc non penetrent fuliginem vestrarum Mentium; nam eas sicut pice obductas contemplamur; ipsa illa nigredo vorat & absorbet hujus luminis radios, inque suis atris poris & cryptis eos recondit, ut ne quidem ulla lux inde reflexa appareat; transeamus itaque ad ea, quæ per amplas

illas portas in inferiorem vestrarum Mentium regionem subintrant; dicite mihi, quid Vita! annon est Intelligere quid verum, & Sapere quid bonum sit; quæ ergo sunt Bonitates vestræ, per quas Vobis copiam sapiendi, & denique intelligendi, seu vicissim, conciliatis; Anne sunt meræ illæ hallucinationes sensuum, qui omnia sua objecta obscurissime; & ne quidem unam plurium myriadum partem eorum, quæ in ipsâ naturâ sunt, appercipiunt (*r*); hæc tenebrosissima objecta etiam Animus vester, sicut Ideas, in Mentes introducit, in quibus Mundi illius princeps, sicut in suo Olympo, residet, ac istas ideas secundum Animi, ejusque geniorum lubentias & voluptates, disponit & ordinat; inde formantur, &

(*r*) Quod Sensuum nostrorum externorum acies tam obtusæ sint, ut ne quidem unam partem plurium myriadum, quæ in natura sunt, appercipiant, id liquido, a phænomenis Visus, qui tamen cæteris sensibus acutior est, apparere potest: Oculus enim inermis seu nudus, quandoque congeriem insectorum viventium, ut quoddam minimum sui visus punctum, aut ut quoddam umbratile, conspicatur; admotis tamen Lentibus opticis detegitur, quod innumera sint Animalcula viva; & admotis adhuc acutioribus vitris, conspiciuntur singula, non solum membris & artubus, sed etiam Musculis, Visceribus, Organis sensuum, Oculis, Cerebris, Medullis, &c. distinctissimis, prædita esse: si adhuc minutioris sphæræ lentes in usum potuissent vocari, iterum in singulâ parte prius inconspicuâ, novæ detegerentur mirabiles formæ; inde constare potest, quam obtusus sit sensus nostri Visus; quod autem Auditus, & cumprimis Tactus adhuc obtusior sit, innumeris confirmari potest: quare Lux sensuum est tam obscura & indistincta, ut potius umbræ assimilanda sit; ex hac tamen nascuntur Ideæ, & ab ideis formantur Veritates, & ab his denique Intellectus.

quasi gignuntur Veritates, vestri meæ Intelligentiæ! parentes; cumque nulla Lux desuper, seu a Cælo, in has formas, admittitur, dicite, qualis tunc inde nascitur Intellectus veri, & Voluntas boni, seu quales inde exsurgunt veritates & bonitates, an aliæ, quam quæ meræ fallaciæ & vanitates sunt; redeam itaque jam ad hunc meum ingressum; si Vita nostræ Mentis sit Intelligentia veri, & Sapientia boni, quæ tunc vena vitæ inest intelligentiæ falsi, & sapientiæ vani? nonne id, quod contrarium ipsi vitæ Cæli est; dicite jam, quo titulo, aut quo nomine, hoc contrarium insignire potestis; an alio, quam quod dicitur umbra, ac species mortis. Sed adhuc perspicio, quod ne quidem hæc Veritas alte penetret, nam princeps vestri atrii seu Animus hæc umbris suis illico implicat, & fumo suorum carbonum involuta in diversas conglomerat formas, quare non aliud nobis superest, dicta nostra confirmandi, ac fidem eorum obsignandi, medium & perfugium, quam ut Vosmet ipsas, in speculis, & sic per reflexam in oculos vestros lucem, contemplemini; portamus enim nobiscum parva specula, e quibus visui obmotis conspicere potestis non vestra Corpora, sed ipsas Mentes in suâmet effigie, seu quales Nobis, quæ Sapientiæ Cælestes sumus, ad vivum apparetis: obmotis itaque illis speculis, intuemini jam, dicebant, inferte oculos vestros in omnes partes, & videte jam quales estis Veneres, aut Pallades, & quales vestri candidi cultus, & cælestes fuci; tunc sibi non secus visæ sunt, ac fullones, aut sicut turba illa, quæ ad fornaces sulphure ardentes continuo

adstat, prorsus sicut luciferæ atra ferrugine sparsæ, nec amplius ut Intelligentiæ, sed ut Insaniæ ac Dementiæ; & nisi artus suos, sicut in perpetuo agone, motitavissent, diceres, non effigies, sed funera, vitæ: illæ quidem visum suum a speculo illo cælesti abjicere conatæ, sed usque imago alte animis impressa sedebat. Ast, faciemus etiam, aiebant Sapientiæ, ut Animus vester cum suis geniis vos oblectet; illico vibrabant lucem sui speculi, & simul aperiebant portas, ut incondita illa turba, more solito, cum suis facibus, in conclavia Mentium earum, irrumperet; fruamini, dicentes, etiam hoc spectaculo; ac illico apparebant eis omnes genii, sicut colubræ, circum capita illarum flexæ ac sibilantes, saniemque suam in Corporis illarum venas, viis per morsus apertis, infundentes (*s*); ac totidem sibi visæ

(*s*) Quod Causæ omnium Morborum seu Affectionum Corporis, originitus fluant a Morbis seu Passionibus Animi, dum scilicet is per inversum ordinem, in Mentem rationalem irrumpit, seu dum imperium traditur principi Mundi, id satis liquido apparet ab Animi effigiatione in vultu faciei, ejusque oculis, in actionibus, gestibus, loquelis, respirationibus, &c. Cumprimis vero ab ejus continuo influxu in fibrarum & vasorum nostrorum fluida; de quo influxu heic solum ab unâ ejus affectione instruamur, scilicet ab Irâ, quæ etiam vocatur excandescentia; dum enim ei aperitur campus se in Corpus effundendi, se illico manifestat per ineffrænatum calorem & ignem, ardescit enim Sanguis, qui in minima vasa a magnis erumpit, æstuant Viscera usque ad Medullas, inflammantur Membranæ, exasperatur Respiratio, indurescit Sonus, intumescunt Arteriæ, turbantur Sensus, sicut interni etiam externi; fomenta etiam crassiora e suis locis vi extruduntur, & sicut fermenta humoribus injiciuntur, Bilis scilicet atra ex suâ vesicâ, ex cujus fæcibus, ramentis & duris partibus, totidem

sunt facies Gorgonicæ; illæ externatæ aufugere volebant, sed ex jactatu Corporis, comæ illæ infernales, sinus ac facies illarum, pulsabant; inde tanquam gelu obriguerunt, ac sanguis frigore con-

stimulis, & simul ab æstu, mollior sanguis indurus fit, fervet & ignescit, palpitant non solum Præcordia, sed etiam Arteriæ; imo ipsa Febris cum suâ phrenitide se in quadam imagine repræsentat; sic nulla minima pars Corporis caret irâ ac æstu. Talis est Correspondentia Animi & Corporis; ac utriusque affectionum seu passionum; quapropter si ipsam Originem Morborum Corporis investigare velimus, ad ipsum Animum, seu principem Mundi, qui Animum regit, recurrendum est; da mihi quæso unum morbum, non ab intemperantiâ ac prædominio Animi, sive in Parente sive in Hærede, oriundam, & mihi eris magnus Apollo; & ne quidem excipiendi sunt morbi a Casibus fortuitis existentes, nam etiam illos casus evitavissent, si non sub potestate istius principis fuissent; exinde liquet, quod totidem sint Corporis Morbi, quot sunt Libidines, aut Cupiditates Animi in libertatem emissæ, tum quot sunt affectionum miscellæ, sicut clare a Febribus, omnibusque earum speciebus, aliisque patescit, sicut ab ardentibus seu causticis, lippyriis, lentis, colliquativis, malignis, intermittentibus, a Morbis maniacis, melancholicis, hypochondriacis, &c. ut solum Deliria febrium expendamus, in quibus ægri perverse omnia sentiunt & percipiunt, somniant quasi vigiles, videntque non visa, audiunt non loquuta, faciunt ex nullâ causâ ut ex causâ, plumas & floccos sicut præsentes legunt, lanas secernunt, amicos horrent ut furias, pueros spectant gigantes, obvia ut spectra, &c. Verbo omnes animi affectiones typos sui in morbis Corporis formant. Aliter prorsus, si Animus vinctus teneretur, & a Mente, id est, ab Amore Cæli, imperaretur. Causa ergo Mortis, a Causis Morborum judicari debet, nam quot causæ Morborum, tot sunt Causæ destructionis Vitæ Corporeæ. Inde apparet, quomodo hostis ille, qui se tam amicum nobis præbet, tabe inficiat totum Corpus, sicut Mentem, & discidiis omnes ejus nexus rumpat.

stitit; tunc Sapientiæ, ecce jam vestri Amores, dicebant, ac vestri calores: adhibite nobis fidem, quod spiritualis vestra vita, quæ vos manet, huic cum infinitâ varietate, prorsus similis futura sit; nam Mentium a Corpore separatarum activitates, existunt, non sicut Corporum per actiones, mediis musculis, & sic carne & ossibus, sed per actuales statuum suorum repræsentationes, seu per meras repræsentatas ad vivum similes actualitates. Agedum, nunc oculis vestris, proinde sensibus, quibus ita confiditis, percipite, quod non vitæ, sed mortis funestas imagines, circumferatis: quot enim colubræ, tot sunt incendia & demum furiæ vitæ vestræ spiritualis, a quibus in sanguinem, dum hic vivitis, etiam insperguntur pestiferæ spumæ, totidem causæ excitativæ Mortis. Abite jam, o formosi flores! cum isto veneno, quod tam dulce in fibris vestris reconditis.

75. Furiæ istæ, ne amplius dicam intelligentias, per devia & opaca viarum, ad sua remensuræ mapalia, elapsæ sunt; sed certa sum, quod seipsas fugere non potuerint. Collige exhinc, qualis, inverso ordine, status regnat, dum auriga ille mundi, Mentes humanas frænis suis regit, & sicut equos ore spumantes in tot decursus impellit; tunc quia Mundus vertitur in Cælum, umbra in lucem, calor in frigus ita supinantur omnia, ut quæ spectare debent sursum, spectent deorsum; non secus ac trunco Corporis absque Capite, quod subactum & contritum est, ad tellurem inverso, & pedibus cum calceatis & illotis plantis, in altum sublatis; a Sapientiis Cæ-

lestibus accepi, quod Mentes istæ in suo Corpore, etiam tales, seu ita supinatæ, in Cælo repræsententur: nam Sphæra Cælestis, quam Mentes humanæ incolunt, Maximo Principi Cæli cum suis Sapientiis, Amoribus & Concordiis, addicata, invaditur, & regnatur a principe Mundi, ejusque vesaniis, odiis ac discordiis, cui sphæra proxime inferior seu Naturalis, a Supremo nostro concessa est; ita, inverso ordine, inferiora in superiora, seu Naturalia in Cælestia, irruunt; inde omnium ignorantia; Veritates corripiunt fugam, per infinitos circumflexus, & plurium Scientiarum cursus ac rimas, sed usque incassum, investigandæ; & quantumvis investigantur, omnis tamen istarum splendor non solum abstergitur & obsolescit, sed etiam ipsæ Cimmeriis obducuntur tenebris; sic noctis duplicata imago succedit: quam ob causam Scientiarum istarum palæstræ dicuntur Ludi, nam quo plus illuduntur, eo plures inducuntur nubes, seu plus densantur tenebræ, usque adeo, ut Lux ab ipso Cælo emicans, sub ipso limine exstincta dispereat: imo ipsum Cælum tam terribili tegitur caligine, ut ignoretur non solum, quid Cælum, sed etiam quid Anima, quid Mens rationalis, & quid Animus; num distincta sint, magis num a se mutuo dissideant; quantum Mentes humanæ ab Animis brutorum distent; tum etiam num Vita sit alia res quam Natura; nam Intelligentia iis apparet sicut amentia, Sapientia ut spectrum; Aurum vertitur in pulverem, & Adamas in limum. Sed tantum abest, ut delusor ille mentem sibi emancipatam amet, ut eam inficiat suâ tabe, discindat odio, & sic Stygi

suæ addicet; nam quicquid agit, ex odio contra Amorem nostrum agit, & adhuc continuo affectat Cælum; ideo Mentes istas, quæ Vincula Cælestium & Terrestrium forent, & per quas unice patent viæ rectâ a supremis ad infima, & ab his iterum ad suprema, secundum ausus ab initio cœptos, quibus constanter instat, hosticus perpetuo invadit & subjugat; hinc per hanc viam jugi antiquum suum conamen urget; sed in Mentibus istis, ad intimum Cæli, ne id quoque invadatur, clausa ac duris repagulis obfirmata est porta.

76. Quod ex unius discidio tot innumeri Amores, sicut vocantur, exsurgere potuerint, ab echidnis, quas Medusæa illa capita ferebant, perspicuum est; unaquævis enim unam vitæ facem, seu unam Cupidinem, proinde unum Amorem, repræsentat; unâ etiam abscissâ renascitur altera; & quot partes earum sanguinis, qui virus est, tot semina novarum sunt. Verum, quod non Amores, sed totidem odia ac discidia sint, constare potest, non solum a discordiâ illarum in unâquâvis subactâ Mente, nam exitialia inter se gerunt prælia, & catervatim dant stragem; verum etiam inter omnes individuas tales Mentes, inter quas perpetuæ regnant civiles insaniæ, clades, excidia; assiduis enim se mutuo subigunt cædibus, aut mactant convitiis; sique leges ordinum remitterent sua vincula, tam acutis & nefariis bellis se mutuo obtererent, ut hostilem rabiem supergrederentur. Ipse Princeps Mundi lituo obit pugnas, excitat animos, & sic clientes suos in exitium furialibus facibus armat; stat ab utraque parte, adque

funera & rogos utriusque cladis præsens imperat, ut omnis turba usque ad internecionem sine missione dimicet. Hæc sunt ejus Amorum Ludi; hæcque sunt ejus oblectamina, ac hyacinthicæ pompæ: Quo atrociores sunt conflictus, & inexpiabiliores iræ, Veterator ille eo latius diducit rictum, ac edit cachinnos: usque tamen indignissime fert, si quisquam has suas Erichtones non ut Amores veneretur.

77. Hi mendacissimi Amores, tametsi numero infiniti sunt, usque tamen iis solum bini Duces prætorii præfecti sunt, quorum unus dicitur Amor sui, alter vero Amor Mundi; quos ipse Princeps suos Optimates vocat. His vero plures subjecti sunt minoris potestatis duces, satrapæ, primores plebeiorum, centuriones, cum innumeris lictoribus, prorsus ad ideam ejus magni Imperii in Universo, cujus regiminis formam ubique inducit. Imperia suorum Optimatum quia ampla, in Regna, Principatus, Provincias, ac plures Dominatus, distributa sunt; quorum tamen unumquodvis aliquam Mundi effigiem, seu Universum, refert, cujus sphæra limites extensiores & contractiores sunt, secundum proximitatem, quæ secum, & cum maximo suo, intercedit: quâ ratione dantur hujus farinæ Amores superiores & inferiores. Unaquævis Mens in effigie aliquem Orbem ac Mundum, similiter ac Mens Suprema, struit, & quasi condit, in quo illa omnes vitæ suæ cursus peragit; intuetur enim fines, & ex naturâ comparat sibi media, per quæ fines isti effectum consequantur: Magnus etiam hic Mundus, non est nisi complexus Mediorum, ut Fines & Arbitria Supremi,

in actus & usus perducantur: hi quasi Mundi a Mentibus constructi, similiter percurrunt sua Tempora, quasi Annua & Diurna, illa vocant *Fata suæ Vitæ*, nam æmulantur Veres, Æstates, Autumnos, ac desinunt in Hyemem: hæc vero, suas *Fortunas*, quæ similiter aspiciunt suas auroras, meridies, vesperas & noctes, alternantque vices: ipsas vero Tempestates, & discussis nubibus emicantia Serena, appellant *Fortunæ fluctuationes*, & *Fortuitis* adscribunt. Ignorant prorsus, quod Vicissitudines istæ ita temperari possint, ut continuum Ver, aut perpetuum ætatis florem, Mentibus inducere queant; nam unde trahant sua fata, ac suas fortunas, iis tam implexa apparent, sicut glomeres lumbricorum, qui coacervati capita sua vel humo infodiunt, vel ipsi acervo implicant; prorsus ignari, quod Universum ex infinitis universis constans, omnesque illi Mentium Munduli ac Orbes, sub auspicio unius Numinis, seu Supremi nostri, Ejusque Amoris, stet, & a Providentia Ejus constanter gubernetur. Regimen quidem Universi alicui Supremo tradunt, sed curam singularium nesciunt cuidam Numini subjiciant, ideo illam partim suæ providentiæ, quam prudentiam vocant, partim fortunæ, adjudicant; nescientes, quod Divina Providentia Universalis esse nequeat, nisi sit in singularissimis, & quod ex his solum Universalis audiat; seu quod Universale suam essentiam & actualitatem a singularibus, a quibus existit, unice trahat; quare cum affirmant unum, & negant alterum, utrumque destruunt: utque sic destruant, nulli non eorum Amores suadent, quia Princeps istorum id

suggerit, ut Mentes illæ in se inducant, omnia vel cæcâ fluitare sorte, vel iheluctabili fato absque allevamento ferri, ac ita ad felicissima fata & faustissimas sortes omnem aditum intercludat; eum enim non fugit, quod nihil quicquam forte & casu existat.

78. Sed pervideo, quod Mentem tuam sollicitet, & mirabundus id verses, cur Supremus noster, qui omnium singularissima & novit, & Providentiâ suâ regit, & Cui Soli Omnipotentia, passus fuerit, hunc tyrannum ita Mundum suum, seu Mentes humanas, tam dire & sæviter depopulari, & sic Universo Orbi tam exsecratum statum inducere; seu Oculis omnisciis tueri, Cælum quasi suum ruere; Verum si aures tuas adhuc paulum dictis meis attentas præbere velis, audies stupenda & inaudita. Omnipotens noster potuit Universum cum suis omnibus universis, uno solum voluntatis nutu, destruere, & sic ipsum illum Tyrannum cum Mentibus ei subjectis in Tartara & Orcum, ubi Noctis illius ac Umbræ imagines, atque Erynnides, perpetuo regnant, præcipitem detrudere: id etiam constituit, quia ipsa Ejus Justitia suasit, & ad id Eum excitavit; nam si a Justitia sua, a Seipso recederet: quapropter etiam justissimæ iræ zelo exarsit, seque ejus fulminibus armavit, non solum in ipsum tyrannum, sed etiam in universam illam societatem, detonaturus; sed jam audi, dum in ipsissimo illo ictu fulminandi staret, en mira dictu! Amor noster, Ejus Unigenitus, in mediam illam rabiem, seu in ipsas furias Diaboli, ubi ipsi illi ictus fulminis caderent, se pronum conjicit, ac humanas istas Mentes brachiis amplexatus, se poene

a rabido illo cane infernali dilacerari ac discindi passus est; quo viso, Supremus noster, ne simul ipsum Unigenitum justissimæ suæ iræ devoveret, deposuit sua fulmina; ac Illum frustra orans ut discederet; Ille ex Amoris flagrantissimo igne id renuit, supplicans, ut ignaris illis ac insontibus parceret, aut Seipsum cum illis perderet, Se velle sontium culpas luere, ac Justitiæ poenas dare; nec faceret, ut unicus ille, unicus esset in Orbe: quo Sanctissimus Parens ita commotus est, ut non solum Justitiæ suæ flammam intermitteret; sed antequam discederet, promittere ex Amore coactus sit, ut Ejus solius gratiâ Mundo isti tamdiu indulgeret, dum is ætates suas percurrerit, & a seipso confectus, in suam hyemem & noctem, sicut turba ejus, rueret; & simul Amori nostro potestatem dedit, tyrannum illum, hostem suum, ad libitum, vinculis coercendi, ac manumittendi: inde ejus potentia ita diminuta est, ut qui regios fines prius rexisset, jam intra angustos limites clausus teneatur. Inde etiam, Mortales illi, ab unione eorum infantum cum Amore nostro, traxerunt vitam morti naturaliter mixtam.

79. His auditis, Primogenitus noster, ad tantum discrimen Universi primum attonitus quasi obriguit; mox autem ad tam stupendum Amoris exemplar remollescens, intimis medullis fere delicuit; ac ideo in Sapientiæ suæ gremium illapsus cum profusis lachrymis diu hæsit; tunc penitus in seipso persentiscens, quid verus Amor, & quid veri Amoris essentia esset; postquam vero tenerrimam illam affectionem ex Amore erumpentem, lætitiæ lachry-

mis, paverit, reclinatus Sapientiam efflictim rogavit, ut jam paulum relegeret vestigia, unde digressa est, & exponeret, quomodo daretur plena copia hoc suo Amore fruendi; id jam se percipere, aiebat, quod id solum ardeat, ut non sui, sed Illius sit; quodque ardor ille ex apperceptâ amorum contrarietate & oppositione, se ad summum gradum manifeste exaltaverit; nam quantum unum horreret, tantum plus jam alterum amaret, & quasi demoreretur. Id in animum ejus etiam rediit, quod illa prius dixerit, vitam quam viveret, extrinsecus influere; & quidem non solum a Supremo, omnium Vitarum Fonte, in Animam, quæ est potentia omnium potentiarum sui Regni, & a Supremi Amore, seu Ejus Unigenito, in suam Mentem; sed etiam ab Ejus inimico in suum Animum (*t*); quodque ejus cubile, & illum ipsum, ibi, & sic proxime sub pedibus suis, ad fores aulæ cubantem, monstraverit (*u*); gavisus tamen, quod viderit illum manicis & compedibus vinctum, nec ausum portam, nisi jussus, tangere; præ horrore tamen aspectum ab illâ plagâ aversum tenuit. Ad hæc Sapientia, quod jubes, inquit, exponam; ex dictis, quæ supra, in aurem tuam, sevi, satis jam tibi constare audio, quod Potentiæ nostræ, ut vivant, ab influis Viribus excitandæ sint; tum quod nulla

(*t*) Quod nihil non in Corpore Animali a vi extrinsecus influente ad operandum excitetur; seu quod Formæ nostræ organicæ non sint nisi quam accommodatæ potentiæ ad Vires, quæ per influxum suum, in eas agent, vide supra Art. 58, & not ibid. (*y*).

(*u*) De his etiam confer supra n. 70.

vita, nisi ex communi Fonte spirituali, ducatur; proinde Vita Cælestis ab Amore Supremi, vita autem naturalis a principe mundi, qui factus est Fons medians & copulans vitam naturæ: Cui quia anima naturalis indita est, omnes illi, qui ejus vitam, absque Amore Cæli, vivunt, vitam naturalem, & morti resignatam, agunt; proinde, qui Naturam, ut supremum suum Numen, colunt, ipsum hunc infensissimum Cæli hostem eo cultu adorant. Quod vero in Animis humanis sit ipsum ejus cubile, ob finem, ut similiter naturam nostri mundi corporei, cum Vita Cælesti, copulet, id quidem ipse celat, ut ludos suos in umbra intellectus, seu in ignoratione suæ viciniæ ac præsentiæ, eo securius ludat; & dum proxime ad fores Mentium excubias agit, omnem sui timorem excutiat: id tamen eum delectat, quod aliqui eum digito quasi monstrent, sed tamen non tangant, qui scilicet eum existere negant, sed usque loco ejus Animum suum, ejusque libidines, & ad crimina proclivitates, substituunt. Nec appercipitur, quod in ipso Animo resideat, nisi ab iis, qui eum oppugnant, & contra inversum ejus ordinem clavum dirigunt, & sic quasi contra tempestates vela ferunt; qui enim secundo flumine labuntur, venam torrentis ignorant, secus vero qui contra alveum nituntur; hi ejus repugnantias sentiunt, & si sedulo attendunt, ejus manifesta murmura audiunt; nam perpetuas excitat pugnas, occentat, & mille oblectamenta & fascina, aut mille spinas & ærumnas, objicit; ipsasque offas faucibus ejus injectas vel deglutit, vel spumis inviscatas remittit: hi, inquam, appercipiunt,

quod non foris stet, & tamen ad quemlibet cogitationis ictum, proprias animi ideas, Mentibus, injiciat, nam custos est ipsarum idearum, quæ ex modis & imaginibus sensuum natæ, materiales aut imaginativæ dicuntur. Ex his etiam clare sciunt inducere, quod divisum sit Humanum, seu partitus Homo in superiorem & inferiorem, seu in interiorem & exteriorem; nam perspicue aliquid dictari de Cælo, & contradici a naturâ, sentiunt. Exhinc liquet, quod unusquisque, etiam integerrimâ vitâ clarus, eum, quocunque vadit, secum ferat: quippe eam ipsam sphæram vitæ, ubi Animus noster agit, cum suis geniis, incolit & constituit.

80. Tres itaque sunt Fontes Vitæ, qui tres nostras Potentias, per suum influxum, sicut lumen Visus nostri organum, excitant & actuant; quod enim dat & agit, dicitur Vis activa, quod vero recipit & patitur, dicitur Potentia; a solâ vi activâ absque potentiâ, sicut a solâ potentiâ absque vi activâ, nullus resultat effectus, proinde nec usus; Vires autem activæ suis passivis, seu principales suis organicis aut instrumentalibus adjunctæ, seu per influxum adsociatæ, causas efficientes, unde effectus, producunt: ex ipsa hac unione resultant Bonitatum nostrarum sensationes, scilicet, quod id sentiamus in Nobis, quia ille, qui est Fons vitæ, id sentit in se, & a nobis per reactionem; nam quicquid ex agente in compar & socium patiens influit, id quia in illo, etiam in hoc, peragitur; prorsus secundum essentiam ipsius Amoris, qui est ipsissima affectio unionis virium utriusque naturæ, seu agentium & patientium;

qui Amor, cum flagrat, nihil vehementius cupit, aut intentius ardet, quam talem suæ naturæ copulam, nimirum ut sit alterius, non sui, idque solum ut suum existimans, quod ex altero in se reflectitur. Tale unum, & simul mutuum, bini Amantes per arctissimos suos complexus, & per limationes & suavia, tentamine, quasi propalant; per compressus enim ita mutuo conjungi ardent & conantur, ut penitus conjuncti, unam, tametsi in binas distinctam, vitam agant. Ex his jam educere potes, adjiciebat, quam plena Amore nostro fruendi copia nobis data sit. Cum jam talis sit Virium influentium cum nostris potentiis nexus & conjunctio, denuo prior confirmatur clausula, quod Amoris nostri vita sit, quam vivimus; & quod talis vita sit, qualis Amor.

81. Sed Primogenitus adhuc quasi timore horrens continuo ad Cælum levabat vultum, ut aspectum a toro, ubi hostis ille cubare dicebatur, averteret; quo animadverso, Sapientia, eum intuens, cur, dicebat, mentem tuam sollicitas, & aciem a Paradiso avertis; pone metum, nihil causæ est, ut is te perterreat; si libet, ipse perspicies, quam humilis, subjectus, & tractabilis sit, quamdiu hic sacer Focus tam lætas fundit flammas, & per has signum datur, quod Amor noster in Olympi hujus solio resideat, tunc enim humi substratus jacet, & sicut famulus obsequentissimus, ad Ejus imperia & placita, proinde ad omnia vitæ nostræ officia, paratissime ruit. Is quidem in quamplurimas, ultra trecentas aut quadringentas, se mutare solet formas, jam scilicet in horrendum Draconem, jam in Lupum ac ingentem Canem, jam

vero in Pantheram ac Urum, tum etiam in Flammam, & similia; usque tamen sub unâquâvis feroce inducta facie, ne quidem minimo nostro digito noxam inferre, minus vulnus infligere potis est; periculum faciamus, ait; tunc Eum paulo renitentem in Cubile ejus detraxit; & excubitori isti, seu hosti, imperavit, ut se in Monstra sua, ab uno in alterum, transfiguratum sisteret: Cumque eum in horrendum, ac immanis vultus Canem versum videret, ipsa Sapientia fricabat ejus costas, & ingenti rictui totam inferebat manum, eumque linguâ prehensum, quocunque vellet, circumducebat, ringentis etiam collo vincula injecit; utque ipse Primogenitus mente interritâ accederet, hortata, rogatumque mox adegit, atque ejus quoque brachium faucibus injecit, ipsumque etiam Caput, & illæsum exemit; Cerberus ille felle quidem intumuit, & lethales dare morsus exarsit, verum ita subductus patuit ei rictus, ut nihil quicquam tentare potis esset. Postmodum ut Leonis vultum assumeret, jussit, tunc Sapientia mulcebat palearia, & cum dentibus ejus & ungulis ludebat, eas genis suis admovens; eique mandatum dedit, ut Primogenitum quoque suis armis & brachiis includeret, & remitteret; inde ille impavidus factus, similiter ac sua Sapientia, uncos ejus dentes tetigit & percensuit. Dum vero ab hoc monstro abiret in Draconem, jussus secundum Sapientiæ ulnas & scapulas, usque in verticem ejus Capitis, surrepsit, ac per suas cristas, squamosas spiras, & volubiles nexus, instar galeæ, frontem & sinciput ejus obtexit; præter plures adhuc ludos, quos cum illo instituit:

in Flammam etiam mutatus, tam mitis erat, ut ne quidem minimum capillum, aut cuticulæ fibram, adoleret. His peractis, jam vides, ait, quod non tam horrificus sit, & tremendus, quamdiu noster Amor Olympum suum in nobis gubernat; Ejus enim potestati, sicut audieras, relictum est, ad lubitum, eum vinculis coercendi, aut manumittendi; sed usque tamen lethiferum alit vulnus; & non solum odio, sed jam etiam vindictâ, ardescit; verum nunc ipse suomet acuto & virulento felle torquetur, & discinditur.

82. Primogenitus, cum has ferarum minas, & quasi periculosas aleas, in mentem suam reduceret, non potuit, quin lenis quidam horror subcutaneas ejus fibras oberraret: cumprimis ad illam ideam, quod Sapientia Caput suum in barathrum tam immanis monstri intrusisset, & tamen Cerbereus ille Canis, eo ipso momento, furore percitus ita excanduerit, ut omnes ejus venæ atro felle intumidæ apparerent; idcirco Sapientiam suam interrogavit, annon illa se tunc in magnum discrimen conjecerit; si forte, dixit, eo momento fera illa bellua, guttur suum tot seriebus dentium præmunitum compresserit, numne tunc de vitâ suâ actum fuisset; nam non bene capio, aiebat, quomodo actus tantum ejus conatum deficere potuisset: ad hæc, Sapientia, sunt, sicut nosti, respondebat, tres Fontes vitæ, a quibus tres nostræ potentiæ excitantur; ut omnia rite ex instituto ordine, vita unius fontis in alteram, seu superior in inferiorem, & sic porro, influet; nam Supremum in infima, nisi per sua intermedia, nus-

quam transcendit ; sunt quasi scalæ & gradus, per quos a Cælo in naturam descenditur, & a natura in Cælum ascenditur ; proinde noster Amor cum suâ vitâ cælesti, non nisi quam per mediantem illam vitam in naturam nostram transit ; ob quem finem, hic fons spiritualis, de quo tam frequenter supra, factus est, & ei anima naturalis indita, in quam tam Vita Cæli, quam Natura Mundi, inferri, & sic utraque, sicut interjecto ponte, contineri & committi, potest ; at quia copula illa scissa, & pons ille quasi revulsus est, Amor noster, sicut audivisti, in medias ejus Furias se pronum conjecit, ut Mentes humanas Cælo vindicaret ; quare etiam a Supremo ei data potestas est, eum coercendi frænandique ad libitum ; eadem res etiam nunc & perpetuo agitur ; nam Amor noster cum Vitâ cæli, in ejus vitam, quæ naturalis & morti addicata est, se injicit, & sic ipsam ejus Animam, e qua omnes ejus conatus in actum erumpunt, proinde eum totum, ab intimis, actualiter domat & subjugat, ut ne hilum furoris, secundum impetum & ardorem suum, effundere queat ; inde sistuntur omnes ejus conatus, ac coercentur insaniæ ; & simul ad omnia sua officia, ad quæ obeunda ab initio devinctus est, a vi superiore aut interiore Divinâ adigitur ; hâc ratione restituitur illa copula, & vindicantur Mentes Cælo ; ut & Amor noster cum cælesti vitâ in universam naturam nostri Corporis influit. Hoc Divino beneficio, hostis hujus anima subigitur, & sic ipsum ejus caput conteritur, & truncus ejus corporis, unà cum cæteris inimicis similiter affectis, ejus scilicet geniis, sicut transversus

limes, aut scabellum, pedibus nostri Amoris, qui in Olympi sui solio residet regnatque, subjicitur: in simili effigie Amor noster in Mentium nostrarum Olympis, subjugato Animo, repræsentatur; nam effigiem totius Cæli in nobis portamus.

83. Jam etiam ejus Famulitia recensere velim; quod pro Copulâ spirituali inter nostræ Mentis Cælum, & inter Mundum seu Naturam Corporis, inserviat, ex colloquiis nostris de illo supra habitis, jam tibi satis constare scio; præest enim omnibus Fibris, quæ in Membra & Organa totius Corporis a nobis demissæ sunt; illæ sunt ejus habenæ, quibus hunc nostrum mundum, & ejus naturam, regit: proinde etiam fibrarum Spiritui, ut & Sanguini. Ille itaque est, qui omnes imagines & modos, qui ex universo ejus Mundo, per Organa sensoria, secundum fibras, ad Olympum nostrum surrepunt, hospitio recipit, & iis ex arbitrio nostro sedes tribuit, & in ordines disponit; inde ejus operatio & activitas dicitur Imaginatio, cui nostra pura Cogitatio præest & correspondet: ideo ab eo resultant, & per eum ad nos referuntur, omnes illæ Oblectationes, quæ a Mundo ejus per Sensuum fores insinuantur, & a vi ejus imaginationis excuduntur; exinde fluit, quod ejus sint omnes Cupiditates, tum etiam Appetentiæ, quæ ab origine sua dicuntur Naturales & Corporeæ; ab iis jam erumpunt variæ Affectiones, Motus & Passiones, quæ Animi vocantur; nam totidem sunt mutationes status vitæ ejus Amorum, seu Cupiditatum; secundum harum naturam in horribiles illas formas, quas modo vidisti, ille se

transformat; nam omnes Spirituales Essentiæ, corpore gravi non indutæ, suos status, per similes variationes formæ, actualiter repræsentant. Præterea etiam ille nostra decreta per fibras ei subjectas, in actum determinat, & exequitur.

84. Prosequamur adhuc recensionem ejus officiorum, sed dum pedibus nostri Amoris substratus jacet. Sunt enim tres Sphæræ nostri Corporis, scilicet Sphæra Principiorum, Causarum, & Effectuum: Supremus cum nostro Amore Principia nostræ vitæ regit; Animus vero, principia naturæ, & quia fibris, etiam causis, proinde ipsi sphæræ Effectuum præest; quare is omnia, quæ in supremâ Sphærâ, ut fines, intenduntur, ac ut decreta imperantur, in Mundum, seu Naturam nostri Corporis transcribit; ubi Fines isti, sicut totidem Animæ, induunt corpoream quandam speciem, & se in effectus aut sensibiles actus, effundunt; nam Spiritualis vita nostræ Mentis in finium intuitione consistit, quæ ipsis nostris actionibus infertur; quare actio respicitur a suo fine, non vero a suo motu, seu vultus formâ; hæc trahitur, dum vita illa, per sphæram causarum in sphæram effectuum, mediatione Animi, traducitur: talis etiam Correspondentia, & actualis per influxum constabilita Harmonia inter Spiritualia & Corporea, seu inter Cælestia & Naturalia, proinde inter ea quæ Mentis sunt, & ea quæ Corporis, intercedit, ut unum alterum, sicut idea typum, referat, & sic mutuas præstent operas, aut reddant vices: Utque hæc Correspondentia vigeat, tradendæ sunt Amori nostro habenæ, qui hostem frænis

constrictum ad omnia sua munia compellat; & sic rite influant superiora in inferiora, & sistantur effectus, in quibus sint usus, qui respondeant finibus. Dum itaque Vita de Cælo trahitur, ac fines, sicut usus, in naturæ gyrum, seu in Corpus, emittuntur, tunc inde actus perfectissimi existunt; nam intimam suam essentiam, proinde formam, ab ipso Cælo ducunt; ipsæ tunc Bonitates, quas intimo sensu percipis, dum transeunt in naturam, in totidem exquisitissimi sensus Voluptates expanduntur; ipsæ formæ bonitatum vertuntur in tales Venustates, ut dicas eas de Cælo elapsas; sacer Amoris ignis in tædas, quæ puris delitiis incalescunt; imo quod intimum est in his amænitatibus, ita per fibras se diffundit, ut id ipso sensu percipiatur: Cupiditates & Appetentiæ Animi, quæ factæ sunt fomites & excitamenta vitæ corporeæ, tunc fiunt innocuæ, & suismet nativis usibus & commodis inserviunt; proinde nexus non discindunt, sed confirmant; nam Voluntatis nostræ desideria, miti flamma incendunt, & jucunditate adimplent: Amor enim noster nihil prius & potius intendit, quam dum fruimur felicitate Ejus Cæli, etiam fruamur jucunditatibus totius Mundi; nam Mundus in gratiam Cæli a Supremo creatus est. Supra audivisti, quod Mentes nostræ Cælestem referant Paradisum; ita etiam Corpora nostra referunt Terrestrem: nam, sicut dictum est, dum hostis ille in Animo ab Amore nostro subjugatus cubat, tunc omnia effectum secundum ordinem a Supremo inductum consequuntur; & unicuique effectui sua genuina vita & anima inest:

aliter vero, si lora traduntur hosti, tunc omnia in contrarium versa ruunt; & omnes, qui prodeunt, effectus seu actus, sunt, sicut eorum fines, id est, animæ, seclusi a Vita Cæli, ac devoti morti.

85. Jam si libet, cursum nostri sermonis ad ipsissimam metam dirigamus, nam illa nunc in prospectu nostro est; scilicet, *Quomodo plena copia fruendi Amore nostro, & quidem in perpetuum, dari queat:* Omnis meus, quem hactenus circumsparsi, sermo, huc unice collimat; nam id est omnium rerum Cardo; seu ipsissimum Essentiale, quod omnes vitæ nostræ formas determinare & construere oportet; ac unicum Centrum, in quod formarum istarum peripheriæ convergent; nam frui nostro Amore, est ipsissima Vita; quid cætera! nisi volatiles plumæ, flocci, & stercora; in nos enim Seipsum, & universum suum Cælum transcripsit, similiter etiam Mundum, ipsumque Infernum; & quasi optionem dedit, unum aut alterum eligendi. Sed quomodo Mortales, dum ad ipsam hanc Metam tendunt, per avia & opaca, ac rursum & prorsum, cursant, oculis meis conspexi, dum Sapientiis Cælestibus juncta comes, orbem terrarum etiam percensui: Ludos enim sacros, in honorem Supremi sui Numinis, ubivis instituunt & concelebrant, sed cum infinita varietate: utplurimum Metam quandam in Pyramidis aut Obelisci formam, elevatam statuunt; sed ipsum Campum, ubi Decursiones vel Curules, vel Equestres, aut ubi Cursuræ, peragendæ sunt, in plures secant vias: Quidam has in Labyrintheas circumducunt ambages, & dato a præcone signo

tubæ, turba, dum a carcere evolat, & per dimensa illa fertur, cursus utplurimum errore fallitur, dumque se rectâ curriculum agere, & ipsam tangere metam, credunt, prorsus in diversum a plagâ istâ elapsos appercipiunt. Quidam etiam præligati oculis in longâ serie concatenati ruebant, quibus præfecti erant Duces, immensas in manu ferentes mappas & membranas, in quibus viarum errores per cippos & indices designati exstabant; ipsi Duces, oculis late apertis, tanquam lyncei apparebant, sed qui amore sui mundique occæcati, nobis visi sunt, sicut illi, qui guttâ serenâ aut amaurosi, prout illis appellatur, laborant, & quidam strabi, hirquis transversim tuentibus; turbam sequebatur agmen lictorum, qui a serie elapsos, in præstitutum ordinem, scuticis & loris compellerent. Erant etiam, qui omnibus stadiis curriculi emensis, prospectu suo metiri quidem videbantur Metam, sed tunc primum iis interjecta apparebat profunda vorago, ex faucibus montium diductis prærupta, a cujus alterâ ripâ, ipsa Metæ columna cum suis authoramentis ac præmiis conspiciebatur, sic demum, cum planctu, appercipientes, quod omnem viarum suarum campum, ut redirent in rectam, quæ, quia augusta, non visa sed prætercursa fuerit, remensuræ essent. Nonnulli autem, loco quod ad Metam, ad superbas palæstras, ac in aerea palatia, ab ipso delusore generis humani, ejusque ministris, se inductos videbant, ubi omnis generis fallaces delitiæ, & mendaces apparatus, sensus eorum fascinabant; nescientes, quod hæc dicerentur hostis

illius Sabbatha. Alii vero aliter, sed plerumque per circumcursiones, opacas scenas, aut convalles, nec nisi quam sero, si usquam, se in errores abductos deprehendebant.

86. Sed quia jam vespera adest, rumpamus, & hujus sermonis telam alio die retexamus, nam Tecum & Nobiscum haud similis res est; non currimus hos ludos, sumus in intimâ metâ, & hic ludimus: potiti sumus, & fruimur Amore nostro: quot sumus tuæ Intelligentiæ & Sapientiæ, tot sumus etiam Infantiæ ac Innocentiæ; proinde tot sumus Ejus Imagines: Nos tuam perficimus Mentem, per Nos itaque Tu ipse es Ejus Imago: Amorem tuum nos oculis nostris conspicimus; & per nos tu etiam Ipsum tueris: quoties Ille Ipse intrat & exit, Is te per nos salutat; & ne unquam absque Eo simus, Sapientiis suis, ac Intelligentiis, quarum Ipse animam agit, mandatum dedit, ut nusquam a nobis discedant, sic Illarum beneficio perpetuâ Ejus fruimur præsentiâ & vitâ. Æternâ itaque omnes jungamur copulâ, & in Mente tuâ sociemus hospitium; fædera hæc socialia tempora nulla rumpant; tibi pactæ sumus; intrabimus jam Olympum tuum, ut sponsæ thalamum; en video, Amor noster ipse præsert tædam; & Sapientiæ Ejus applaudunt: sic finita est hæc Scena, quæ ordine Quinta erat.

PARS SECUNDA

DE

CULTU ET AMORE DEI;

UBI AGITUR DE

CONJUGIO PRIMOGENITI SEU ADAMI,

ET INIBI DE

ANIMA, MENTE INTELLECTUALI, STATU INTEGRITATIS, & IMAGINE DEI.

AB

EMAN. SWEDENBORG.

LONDINI:

MDCCCLXXXII.

PARS SECUNDA,

DE CONJUGIO PRIMOGENITI.

87.

LUCUS erat, aliquot stadiis, a Paradisiaco Primogeniti, distans, limitaneis circumseptus fluentis, & ab his derivatis mæandris in formas insulares sectus: totus quoque Pomarium, in cujus medio etiam spectatissima Arbor, quæ proceritate & decore, Arborem Vitæ, seu Maternam alterius Luci, æmulabatur: nihil erat amænitatis & pulchritudinis in uno Nemoreto, quod non in altero effigiatum exstaret, adeo, ut si ambo isti Luci solo continentes fuissent, dicerentur consortes, aut quasi conjuges. Primogenitus quondam viarum errore circumactus, ad crepusculare diei tempus, huc appulit, & cum propter supervenientis noctis umbram relegere vestigia nequiret, in medium hunc hortulum se intulit, & sub ramoso tegmine memoratæ Pomi, aucupandi somni pernoctandique gratiâ, super torum, & straturam a lectis floribus paulo elevatam, decubuit; cumque inopinus sopor externos ejus artus, & mox

interiores fibras, arcte componeret, tunc ei in somno apparuit venustissima facie & corpore Nympha, cujus speciei, ex quodam sympathico fomite, ita inarsit, ut subito mollis flamma omnes ejus resolutas medullas accenderet; quam Nympham cum ulnis comprehendere tentaret, illa, quasi candidæ nubi similis, aufugiens, tactum ejus & conatum illudere visa est; ille inde vehementius irritatus, fugientem retinere conans, thoracis sui artus ita lacessebat, ut ei videretur una ejus Costarum exsiluisse, tantum enim ejus Mens intendebat nervos, & Cor exagitabat sanguinem in pectore; at post luctæ spatium, sibi comprehensa videbatur, cui tunc frequentia dabat oscula, quæ ingeminans multâ parte labiorum orisque imbuebat; sub his, cum ex novâ emicante flammâ adhuc illa pulchrior visa esset, subito expergefactus, cum dolore appercipiebat, quod modo species somni fuisset; nescius, quod Pomus illa, sub quâ requiescebat, simile, ac sua Materna, portaret Ovum, ex quo futura ejus Conjux nasceretur; quodque Illa esset, quam in somno repræsentatam tanto amore ambiret; & Ramus ad pectus in gremio ejus recumbens, quem ulnis amplecteretur; ac ipsissimum Ovum, quod osculis & labiis comprimeret, & sic Animam, ex suâ, vitalem ei infuderit.

88. His valde emotus, cum delitias suæ quietis, per relapsum in novum soporem, retentare, irritâ semper operâ, vellet, sub primo Auroræ Ortu, se a toro isto levabat, & priores passus remensus ad suumet delitium hortulanum, seu genitalem lucum,

absque viæ errore, pervenit; in Mentem ejus usque subiit, quod eò Divinitus appulsus fuerit, & aliquid ei videre oblatum, cujus eventum postea cognosceret.

89. Interea in hoc Ovulo ita imprægnato incepit Anima, a Primogenito, in ardore somni, infusa, contexere suas formas, a primis Cælestibus ad ultimas Naturales, & sic a Principiis se Corpore, sed ex molliori stamine, induere; & post formationis suæ spatia, aut primævæ vitæ curriculos, natalem maturare ortum, & in vernalem auram, ex vi sibimet acquisitâ, eniti: Foetus etiam exclusus postmodum similia inibat & subibat fata, ac quæ Noster Primogenitus, cujus vitam, sed in se distinctam, ferebat, & continuabat; similiter etiam, sub parentelâ & curâ Cælestium, infantiam suam, usque ad primum ætatis florem, exegit; quarum sub auspicio, indies, sicut Intelligentiâ, etiam Venustate oris & corporis, usque in pulchritudinum & simul amænitatum Generis humani exemplar, crescebat: ex facie ejus non solum elucescebat Integritas, sed etiam ipsissima Innocentia, adeo ut illa, sicut quædam Cælestis Gratia, sub formâ humanâ, apparuerit; nam ipsum Spirituale se in ejus Corpoream formam descripsit; Animus scilicet cum suis affectionibus, & status mutationibus, sicut vulgo, in ipsum textum fibrarum muscularium, qui tenerrimus erat, & ad significandas cujusvis motus ideas pronissimus; Desideria vero Mentis in formas adhuc perfectiores ac interiores earundem fibrarum; quæ se insuper, secundum quamlibet mutationem,

per candoris & purpuræ variegationes, sicuti per colores, picta repræsentabant; ipsi denique Amores per radios similes cujusdam vitalis flammæ, in has formas, ab ipsis oculis, tanquam a suis centris & focis, erumpentis: sic ut ex ipsissimâ facie, sicut ex scriptâ quâdam tabellâ, sensus omnium ejus idearum cogitationumque, uno intuitu, pulchre comprehendi & alterius oculis legi, potuisset. In tam integro Animæ statu, non potuit non imago omnium facultatum interiorum, in ambitum Corporis, & cumprimis in Vultum, qui etiam effigies animi dicitur, exsiluisse; nam nihil erat interjectum, quod exscriptionis hujus notulam inverteret ac turbaret; Animus enim prorsus sub imperio Mentis, in quo ipse Amor Cæli regnabat, obsequiosus jacuit. Hac ratione, hoc Primogenitum Par, cum conjugam acturum esset vitam, mutuos sermones, absque interprete Linguâ, & auxiliatrice Aure, diu consociare potuisset.

90. Hæc formosissima Puella, cum in primo ætatis suæ risu & ludo esset, & nihil non oblectabile mentem ejus prone in lætitias raperet, forte, dum ambularet, ad aquam cujusdam fontis, instar puri chrystalli, usque ad fundum, qui opacus erat, pellucidam, divertit; in quam cum oculos suos dejiceret, stupefacta, quod imaginem sub aquæ superficie fluitantem, & jam, sicut ipsa se admovebat, emergentem, prorsus ad vivam, conspicaretur; mox vero, cum animadverteret, quod eadem forma, sicut ipsa, similes agitaret motiunculas, dumque propius intueretur, quod suumet eburnei candoris pectus cum

mammillis, suasque ulnas & palmas, agnosceret, a stupore, in seipsam, sicut ab umbrâ in lucem, rediit, reflexam sui imaginem esse appercipiens. Cum vero ex novitatis rei voluptate se aliquantum hâc sui ipsius effigie oblectavisset, alius obvenit, qui jam versatiliores ejus ideas defigeret, stupor, scilicet, quod in vultu recognosceret, quicquid Mente suâ volutabat, ipsum etiam suum stuporem, & errantes circum eum ideas, agnoscebat, mirata quod sic omnia Mentis suæ adyta prorsus aperta & reserata starent ; quum hanc nebulam, quam stupor induxit, non ita, sicut priorem, discutere potuisset, citato gradu ad suas Cælestis se recepit, rogans, si eis placeret, vellent exponere, unde veniret, quod in vultu suo repræsentarentur omnes ejus mentis affectiunculæ, & ipsæ idearum series inde excitatæ, nam se conspexisse in fonticulo, aiebat, quod facies sua indicaret & revelaret, quicquid intus volveret ; & quod hâc ratione nihil usquam celare potuisset ; ad hæc, Una Cælestium, quæ chorum ducebat, si nosses, mea filiola, dicebat, quomodo potentiæ & facultates interiores & exteriores sibi mutuo succedunt, & secundum eum ordinem, in se mutuo agunt, desineres hæc mirari ; sed ut hæc scias, paucis aperiam. Suprema tua ac intima Potentia, est ipsa Anima, quæ omnis est in omnibus tui Corporis, nam ab ea omnes fibræ suum ortum, & principium suæ determinationis, ducunt. Altera Pontentia vel Facultas, dicitur Mens Intellectualis, ab Animâ, ut a suâ Parente, omnium primo excitata & genita, quapropter eam suum Amorem ac Unigenitum appel-

lat : Tertia est Mens inferior, quæ etiam Animus dicitur : Ex his tribus Principiis, Fibræ totius Corporis, cum incluso spiritu, procedunt, & a fibris concinnantur Vasa, quæ sanguinem ferunt ; ex his Vasis, & eorum diramificatis liciis, jam omnes telæ organicæ, quæcunque in ambitu Corporis conspicuæ sunt, & quascunque ambitus includit, & dicuntur Sensoria, Musculi, Viscera, aut Membra, formatæ & contextæ sunt ; talis est compositio omnium in genere. Sed jam retro feramus gradum, exponendo, quomodo unum agit & influit in alterum : Anima in suis supremis induta est Formâ, quæ Supra-Cælestis vocatur, & vitam suam Supremo nostro Numini acceptam fert : Mens vero Intellectualis dicta, suam formam ab Animâ ejusque vitæ radiis, simplicissimarum fibrarum æmulis, adepta est, hæc forma dicitur Cælestis, & vitam suam, simul ac a Supremo, etiam ab Ejus Amore seu Unigenito, haurit ; nam Formæ istæ seu substantiæ sunt modo potentiæ seu organicarum primæ, quæ a radiis Illorum vitæ, suam vitam agunt. Mens vero inferior, seu Animus, suam iterum Formam, quæ dicitur Infra-Cælestis, seu Suprema naturalis, a prioribus nacta, suam vitam a Fonte quodam spirituali, qui factus est copula Cæli & Mundi, educit. Ab his tribus distinctis formis, ut a suis principiis, profluunt jam omnes formæ Corporeæ seu Materiales, quæ pure naturalibus correspondent, ac quæ inferiores sphæras, seu ipsum Corpus, constituunt ; proinde etiam earum formarum operationes, mutationes status, & agendi

rationes. Sed quoad ipsam Correspondentiam per influxum operationis unius formæ in alteram, primo sciendum est, quod Forma parens, seu superior, formam proxime inferiorem, ut suam prolem, proinde ut suam imaginem, respiciat, solâ intercedente differentiâ simplicitatis & perfectionis; inde inter Formas talis viget harmonia, mediantibus viribus activis & vivis, ut unius Mutatio status, quæ fit per Variationem formæ, similem alterius correspondenter excitet; perpetua enim Concordantia, per medias vires activas, inter similes, regnat; cumprimis quando omnia suo ordine rite fluunt, seu quando Forma suprema, quæ omnium perfectissima est, agit in proxime inferiorem, & hæc similiter in sequentem, & sic successive; tunc omnes istæ Mutationes status, quæ in binis Supremis excitantur, per correspondentes similes, in ultimis, suo modo, se evidenter sistunt & præsentant: Hæc jam causa est, quod Anima, & Mens tua, se in gestus, loquelam, & in cæteras activitates externas, imprimis vero in vultum, transcribant; & quod ne minima quidem particula totius corporis, non similem earum affectioni mutationem subeat; nam illæ, sicut in supremis, etiam in omnium intimis, regnant. Quod hoc tam perspicue e tua facie eluceat, etiam indicium est tuæ Integritatis ac Innocentiæ. Hæc omnia Intelligentia Cælestis per vivas repræsentationes tam manifeste contemplanda exhibuit, ut quasi pictæ imagines, in sensum hujus Puellæ, quæ sicut erat venustate, etiam ingenio, dotatissima, caderent.

o

91. Cum Adolescentula his aurem mentemque attentissimam adjiceret, & sparsos verborum sensus in unum, secundum eminentem naturali non absimilem copulationis modum, collectos, in sua luce, sicut ipsa solebat dicere, perspiceret, circa finem, quod repræsentatio affectionum Mentis in vultu, esset indicium Integritatis & Innocentiæ, aliquantum pensitando hæsit, nesciens adhuc, quid esset *non integrum;* quare submissâ prece rogabat, ut non desisterent, sibi, instruendo, favere, & in suam lucem etiam immittere, quid esset, & unde, *Status Integritatis:* hâc interrogatiunculâ non parum gavisa Diva Cælestis, ex nuper relatis, inquit, in lucem tuam intravisse scio, quod tres Facultates in nobis sibi mutuo succedant, ac in se mutuo agant, scilicet Anima, Mens intellectualis cum suâ voluntate, & Animus seu Mens inferior: & quod similiter tres Fontes Vitæ sint, a quibus Facultates istæ, seu Potentiæ, in suam vitam excitantur, quorum unus similiter agit & influit in alterum, & sic conjunctim in naturam tui Munduli Corporei, usque ad ejus extrema: Talis est Ordo, quem Supremus noster ab æterno prospexit, & sic a prima creatione instituit; & talem in Te, mea Filia! signavit & constabilivit. Nos Cælestes *Integritatem* ex ipso Ordine a supremis ad infima, aut si mavis, quod exinde sequitur, ab intimis ad extima, sic a simplicissimis ad ultimò composita, judicamus; Visus enim noster non hæret in superficie, sed penetrat in medullas, ac intuetur principiorum principia, & ab iis continenter sequitur filum ad ultima textus, inde bonita-

tem & integritatem concludimus: quicquid enim in extremis perfectum est, id nusquam ducitur, nisi ab eo principio, ubi ipsa est Perfectio, nec nisi quam per eum ordinem, quem Supremus a Seipso deduxit, & in suum Cælum & Mundum, eique consimiliter in tuum Microcosmum, introduxit. Evolvamus itaque ipsum hunc Ordinem, a primis ad ultima, & retro. Supremus noster ut a suo Sanctissimo Adyto & intimo Cælo, proinde a suo Throno, Universum nutu & ex arbitrio, sicut in primis, etiam in ultimis naturis, regeret, & sic Regnum conderet Cæleste, ab æterno, seu ante Mundi creationem, Primogenitum omnium Viventium, Unicum suum Amorem, genuit, per quem Spiritualia & Corporea, seu Cælestia & Naturalia, id est, Viventia & vitæ expertia, secum copularet & uniret; nam absque Amore nihil concorditer in unum conspirat, aut continenter uno spiritu vivit & agitur, & sic ad unum finem contendit, sed dissidet & dilabitur: Is itaque natus est Unio & Mediatio inter Superiora & Inferiora, seu immediate inter Supremum, suum Parentem, & ipsum Cælum, id est, Cæli Indigenas; quare Ille solus est, per quem omnis Ordo instituitur & absolvitur, seu per quem via a Supremo ad ultima naturæ, & retro, sic prorsum & rursum, ducitur; at Ille, quia etiam est Anima totius Cæli, Essentia Divina, & Vita pure spiritualis, non immediate in naturam vitæ expertem, absque vinculo iterum spirituali, seu vita mediatrice, in quam natura cæli & natura mundi copulatæ essent, descendere potuit; nam quæ com-

munio vitæ & naturæ, nisi iterum per talem mediationem. Sed spiritualis inferior hæc vita, ex proprii amoris & ambitus æstro, disrupit copulam; quare jam non vitam Cæli sed naturæ vivit; & non amorem sed odium, proinde non unionem sed discidium, spirat; usque tamen per eum Amor noster intrabit naturam Mundi seu nostri Corporis, & per Divinam suam potentiam, ne omnia labent, disruptos nexus contexet, & Mundum ad Cælum, sicut ad suam continentem, revocabit; quod ut fiat, inimicus, fæderis violator, ab Amore nostro sub jugum mittendus est, ejus feroces impetus frangendi, damnosæ vires dissipandæ, vita ejus exitialis morti devovenda, & sic omnes ejus actus intra solam conatuum sphæram coercendi, & hâc ratione ad injuncta sibi officia vi adigendus. Hic jam est ipse Ordo, secundum quem a Supremo transitur in naturam: similis etiam Ordo nostræ vitæ facultatibus seu potentiis inscriptus est: Anima nostra ab ipso Supremo regitur; Mens intellectualis cum suâ voluntate a Supremi Amore; Animus vero ab infimo hoc mediatore: ut omnia secundum hunc ordinem a Sapientissimo institutum fluant, Amor Supremi, qui sicut in suo Olympo, etiam in nostris Mentibus, residet, omnium finium per Seipsum aut per Animam influentium media disponet, ac vitâ sui Amoris inspirabit & adimplebit, perque Animum, seu ejus mediatricem vitam, prius, sicut audivisti, subjugatam & perdomitam, influet in naturam nostri Corporis, scilicet in Fibras & earum Spiritum, & ab hoc in Sanguinem, in quorum utroque natura in consortium vitæ

adscita est, proinde in universum nostrum Mundulum Animalem, tam extus quam intus ; nihil enim Essentiale in toto Corpore & ejus Naturâ, quam Vas & Fibra cum suo Sanguine & Spiritu, datur, secundum horum varias determinationes exsurgunt omnes Organicæ Formæ, Fabricæ, aut Texturæ, ad unumquemvis vitæ usum & necessitatem instructæ; sic Vita Amoris Cæli in universum Corporis nostri systema a supremis ad ultima influit, & in ejus omnibus omnis vivit & regnat. Hic jam est Ordo, per quem exstitimus, & per quem subsistimus ; & quamdiu per eum subsistimus, tamdiu perpetuo existimus, aut sicut natæ sumus perpetuo renascimur, aut sicut factæ perpetuo reficimur, & sicut connexæ continemur ; ipsa creatio in nobis continuatur, & dicitur perennis conservatio ; seu integratio perennis redintegratio ; & sic perpetuum agimus Ver, aut vivimus ætatis florem ; Divinum enim in nostro Naturali, & Cæleste in nostro Corporeo, regnat ; nam qui hoc Regnum in nobis instituit ac instaurat, est ipsa Perfectio, quia est Supremus, ac est ipsa Unio & Harmonia, quia est Supremi Amor. Status itaque per hunc ordinem inductus, est, qui dicitur *Status Integritatis*, cum statu Infantiæ & Innocentiæ, proinde cum *Statu Immortalitatis*, conjunctus.

92. Sed hanc tanti momenti rem ex suis principiis, prorsus ad sensum, evolvamus ; verum tunc ipsos emissiles radios trium principiorum comparemus cum purissimis fibris, tametsi non fibræ, nisi per analogiam aut eminentiam, dicendæ sint, sed

intellectûs gratiâ, cum aliæ non suppetant, a foro mutuemus, voces; nam fibra ipsius corporis, ex coagmentatis his principiorum ita dictis fibris, sicut ultima proles, enascitur; inde ex affinitatis naturâ, etiam venia datur, unum per nomen alterius significandi. Omnis, quæcunque in Universo Corpore, regnat Fibra, ortum suum ab Anima ducit, nam per fibram suam est illa, Anima sui Universi, & in ejus omnibus præsens, potens, consciens, providens, & vivens; quare ejus radius seu eminentissima fibra, est unicum substantiale in compositis, seu unicum simplex in aggregatis, id est, in fabricis, seu formis organicis corporis: ejus forma in supremis, seu intime in ipsis fibrarum principiis, dicitur Supra-Cælestis; ejus determinatio seu fluxio secundum fibras, per intima corporis, ubivis etiam similem æmulatur formam; hæc tantæ puritatis & simplicitatis est, ut supremam Vitæ essentiam, sinu suo, ferat: nam supereminens hæc fibra in se spectata est modo recipiens, seu potens essentiam illam vivam recipiendi, quare etiam Anima, Potentia potentiarum, seu Forma formarum, dicitur. Ex simplicissimis his fibrarum æmulis radiis, gignitur alterum fibræ principium, per mirabilem & infinitæ cujusdam circumgyrationis modum, cujus forma in supremis seu ipsis fibrarum principiis dicitur Cælestis, quæ etiam est Forma Mentis nostræ intellectualis; per subtilissimum hujus fibræ porum, (nam in universo Corpore animato, a primis ad ultima, nihil non est permeabile & conspirabile) iterum quædam pure spiritualis essentia, quæ est vita ipsius Cæli,

aut Amoris Supremi, perfluit, similiter ac ipsa fibra, a priore seu supremâ illâ, nata. Ab his jam producitur tertium fibræ principium, cujus forma in supremis audit Infra-Cælestis, & cujus fibræ porus, seu meatulus, modo pervius est spirituali illi essentiæ mediatrici inter vitam cæli & naturam mundi: hæ sunt ipsissimæ essentiæ & reales substantiæ, nam quæ derivatæ sunt, & demum sub sensum cadunt, omne suum actuale & reale, ab iis, & eorum secum nexu, trahunt. Ex his tribus principiis ita consertis, jam producitur omnis fibra, quæ per nervos defluit in provincias corporis, ac candidum purioremque sanguinem, vulgo Spiritum Animalem, devehit: ex his ultimo concinnantur Vasa, Arteriæ & Venæ, dicta, quæ Sanguinem rubrum crassioremque circumvehunt, ex quibus, ut & ex dictis fibris, omnia Organa & Viscera Corporis confabricantur; & per vitam utriusque sanguinis a principiis istis influam, & tergeminatam ibi fibram, vivunt. Ex his jam ratio omnis compositionis, & ipse ordo successivus in principiis, atque simultaneus in fibris inde derivatis, tum etiam influxus secundum eum ordinem, constare potest

93. At pervideo, mea Filiola! aiebat, quod adhuc nubecula quædam in luce tuâ oberret, quam etiam dissipatam cupis, scilicet, quod nondum penitus introspicias, quales illæ Formæ sunt, quæ in se mutuo secundum ordinem istum agunt; ut etiam id expediam, a supremis iterum, seu a primo stamine, eundem reauspicari velim. Formæ istæ, quæ actuales substantiæ sunt, & per mutationes status,

mirabiles suas functiones edunt, sibi mutuo subordinatæ, ita se habent. Omnium Prima Forma, Animæ nostræ propria, dicitur *Supra-Cœlestis:* Altera vero, quæ est Mentis Intellectualis, audit *Cœlestis:* Tertia, quæ est Mentis inferioris, seu Animi, vocatur *Infra-Cœlestis.* His jam succedunt Formæ pure Naturales, quæ si ex fluxionis suæ naturâ denominandæ, earum Prima dicenda est *Spiralis*, conspicua in ipsis Fibris Corporeis: Altera *Circularis* vel *Sphærica*, in Vasis Sanguineis. Tertia *Angularis*, proprie Terrestris & Materialis, pro corporaturâ fluidis, ipsique sanguini, ut & fibrarum spiritui, inserviens. At vero, qualis cujusvis Formæ Natura sit, discendum est, ab iis, quæ Intellectui per Sensuum adminicula patent, proinde ab ultimis, seu ab Angulari & Sphæricâ: Illa, seu Angularis, ex determinatione sibi mutuo oppositâ omnium Essentialium, id trahit, quod Materia gravis & iners sit, ad omnem motum per se inepta: Altera seu Sphærica priore perfectior est in eo, quod superficies ejus infinitum referat Angulum, nec nisi quam unicum respiciat punctum fixum ex opposito omnium punctorum superficiei, quod dicitur Centrum; idcirco ud motum, & variationes formæ, accommodata. Tertia seu Spiralis, a suâ determinatione, adhuc superiorem trahit perfectionem, nam iterum induit quoddam perpetuum aut infinitum; radii enim ejus, quia sunt spiræ, se circulariter urgent non immediate ad Centrum quoddam fixum, sed ad superficiem cujusdam sphæræ, centri ejus locum tenentis; ita adhuc ad motum, & ad variationes formæ, priore accommodatior.

Quarta, seu Infra-Cælestis, iterum superiorem ducit perfectionem, ex novo quodam perpetuo seu infinito; nam helices ejus instar vorticis in tales fluunt gyros, ut per eos signentur Circuli majores & minores, cum polis, sicut in magnâ Mundi Sphærâ; & helicum ejus flexus & inflexus spiras prioris formæ, sicut perpetui sui Centri puncta, aspiciunt; inde ejus potentia se variandi, aut mutandi status, præ alterâ immensum crescit. Quinta seu Cælestis, super reliquas novam adhuc induit perpetuitatem aut infinitatem, nam hæc iterum sicut suum relativum Centrum, Infra-Cælestem formam, & omnia ejus determinabilia puncta, intuetur; quare ejus fluxionis ideæ indesignabiles lineis & verbis existunt; ex ratione hujus infinitatis, ejus facultas mutandi status super priorem eminenter ascendit. In Sextâ vero Formâ, seu Supra-Cælesti, nihil est nisi Perpetuum, Infinitum, Æternum, Incomprehensibile, Universi Ordo, Lex, Idea, & omnium essentiarum Essentia. Talis jam est in Maximo, & in nostro minimo Universo, ascensus & descensus Formarum seu Substantiarum; similis etiam est omnium Virium & Potentiarum, quæ ab iis, quia Substantiæ, ut subjectis, profluunt. Omnis vero Perfectio earum, in possibilitate & virtute se variandi, seu mutandi status, consistit, quæ secundum earum elevationes, ita in se per infinitates multiplicatò crescit, ut omnes calculi series a Mentibus Humanis evolutas, & iis penitus adhuc implicatas, numero excedat; quæ infinitates denique omnes in Supremo Infinitum evadunt. Ideæ nostræ, sunt meræ

progressiones per Variationes formæ, & sic per actuales status mutationes.

94. Si perspiceres, mea Dilecta! quam distincte & disposite hæ Formæ locum suum sortitæ, ac inter se connexæ, sedent & secundum nexum in se mutuo agunt, & influunt, ex solo aspectu & infinitate tot mirabilium in unum conspirantium, sacro stupore & simul pio gaudio, in cultum & amorem tanti Opificis, ab intimis acta, procideres; paucis modo & simplici sensu aperiam, quomodo illæ in parvulo tui Mundi typo, seu Microcosmo, cohærent. Omnes enim istæ Formæ, in nullâ non, etiam minimâ sub sensum cadente particulâ, coexistunt, & cooperantur, prorsus secundum Ordinem, quo se mutuo premunt, & consequuntur; nihil enim alicui textui & effectui simul inest, quod non successive illatum est; & nihil non ita inest, sicut ipse Ordo intulit; quare Ordo simultaneus a Successivo, ortum suum, naturam, & perfectionem, ducit, & ille ab hoc unice perspicuus & planus redditur: inde Nos Cælestes, Status Perfectionum, sive Pulchritudines, sive Bonitates, sive Amænitates, sint, judicamus: Ut id adhuc luculentius sistam, tenendum est, quod Supremum in successivis intimum sortiatur locum in simultaneis; sic Superiora ordine Inferiora superinvolvunt, & confasciant, ut hæc fiant eodem ordine exteriora; hâc ratione se evolvunt prima, quæ etiam simplicia dicuntur, & se involvunt posterioribus seu compositis; quare omnis Perfectio extimi ab intimis per suam seriem effluit; inde tua Pulchritudo, mea Filia! cujus unica parens est ipse Ordo. Sed

elabimur, ad recensitas Formas, quo ordine in Microcosmo tuo, se mutuo sequuntur, & porro uniunt, sermonem referamus.

95. Ut, mea Chara! hoc curioso & jucundo spectaculo mecum fruaris, aperiam tibi meum Pectus, & ex Corpore argumenta experientiæ depromam; hoc mihi nihil obest, nam formam humanam, dum libet, assumo, ac iterum eam depono; aspice jam, inquit, ex infinitis partibus modo hic *Nervus*, pro speculo, inserviat, quem vides duplici, imo triplici zonâ cinctum, & penultimâ formâ seu sphæricâ conclusum, & sic ad ultimas seu extimas suas perductum: jam vero hunc tenuem ambitum amovebo, ut formas involutas suo ordine expediam; detractis itaque zonis seu tuniculis; en jam fascicularem hujus Nervi compagem, infit, quem ex nervulis, & hos demum ex fibris sibi mutuo adpositis, coagmentatum vides; hæ fibræ a vinculis suis disjunctæ, in spirales volvuntur flexus, & permeabiles sunt cuidam lymphæ, quæ Spiritus Animalis dicitur, cui a principiis suis infunditur Vita, quam in vicos & municipia totius Regni circumfert, ipsique Sanguini inspergit: sed ne plurium aspectus distinctas opacet ideas, unicam modo fibram latici suo perviam, a vicinarum nexu decerptam, simplicius lustremus, quam etiam arte meâ amplificatam tibi sistam; quo facto, tuere jam, dixit, quot canaliculus hic permeabilibus circuitur fibris, & quomodo hæ fibræ iterum & iterum a suis, in quas singulas sua Vita a principiis distincte influit; talis est compaginatio. Verum, ut nos ipsas formas, & unius nexum cum alterâ, & demum in-

